P. A. Maria de Arcos

APPENDIX THEOLOGIAE MORALIS

060.17
AR27

1908

APPENDIX
THEOLOGIAE MORALIS

APPENDIX

THEOLOGIAE MORALIS

PRO NOSTRIS,

AUCTORE

P. ANGELO MARIA DE ARCOS

Societatis Iesu sacerdote.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709



MADRID
8264.—IMP. DE G. LÓPEZ DEL HORNO
San Bernardo, 92. Teléfono 1.922.
1908

6377

Ego, Josephus Maria Pagasartundua, Praepositus Provinciae Toletanae Societatis Iesu, potestate ad hoc mihi specialiter facta ab Admodum Reverendo Patre Francisco Xavier Wernz, eiusdem Societatis Generali Praeposito, facultatem concedo, ut opus, cui titulus Appendix Theologiae Moralis pro Nostris, *a Patre Angelo Maria de Arcos, Societatis Iesu sacerdote, conscriptum, et a Censoribus, quos ipse Admodum Reverendus Pater Noster deputavit, rite recognitum et approbatum, typis pro Nostrorum solum usu mandetur.*

In quorum fidem has litteras, manu mea subscriptas, et sigillo meo munitas dedi.

Matriti die 14 Ianuarii 1908.

JOSEPHUS M.ª PAGASARTUNDÚA,
Praep. Prov. Tolet.

L. ✠ S.

APPENDIX THEOLOGIAE MORALIS

PRO NOSTRIS

PROLOQUIUM

Quamvis aliqua in vulgatis Moralis Theologiae libris inseruntur propria Societatis nostrae; operae tamen pretium visum est, si in libello, Nostris solum pervio, accurate notentur, quae per totum moralis tractationis decursum occurrunt, nedum de Confessariis nostris aut de facultatibus Societati concessis, imo et alia cum caeteris forte religiosis communia, quae tamen non solent in schola Theol. Moralis explicari.

Nec ideo compendium Instituti aggredimur, sed eorum solummodo, quae generatim nostris operariis, etiamsi tertio probationis anno non donentur, scitu necessaria sunt, ut mores totamque agendi rationem quoad se et quoad alios ad leges Societatis Iesu componant, si-

mulque ut decretum 15 Congregationis generalis XX observetur.

Quod ut nostris, praesertim Theologiae scholaribus, commodius cedat, sequendus nobis visus est ordo quaestionum in scholis usitatior, citato praeterea in singulis illo Patris Gury-Ferreres numero, cui nostra addimus (1). Caeterum in re facili satis duximus fontem insinuare unde doctrina hauritur; in difficili momenta etiam perpenduntur; tandem quae ad mensam communem legi statis temporibus iussa sunt, ea, utpote cuique nota, fere omittuntur. Haec animadvertant, quaeso, si qui forte desiderant, ut quae, aliqua, ut videtur, legentium utilitate, mere indicantur, citatis tamen auctorum locis, qui rem explicant, plene etiam hic tractarentur: excurreret nempe longius libellus. Quod autem plura, quae in Instituto constant, videmur ex Ramière aut alio Societatis auctore constabilire, non ideo id facimus quasi tali solum allegatione res constet; sed quia apud Ramière aut Oswald collecta simul reperies Instituti loca, Responsa Generalium et alia, quae difficiliori negotio separatim citata consuleres.

---

(1) Qui alio utuntur auctore, ad citatum Gury-Ferreres numerum non attendant, sed ad res, quas pro Nostris addimus.

Tandem, quamvis quae in Societate praescribuntur, pleraque per se sub culpa non obligent, non ideo erant hic continuo tacenda, et ad scholam perfectionis releganda; obligant enim ad poenam: imo, in hoc differt Regula aut Ordinatio Societatis a poenali civili lege, quod D. N. Iesus Christus, et Vicarius ejus Romanus Pontifex, et Societas nostra expresse et vehementer velint omnia nobis praescripta fideliter ex charitate compleri et observari; imo, vix contra deliberate agitur absque culpa aliqua: non est igitur ab hoc loco aliena tractatio.

OPERUM, QUORUM MENTIO FIT, EDITIONES SIC CITANTUR:

Institut. Soc. Iesu.....	editio	anni	1892-93
Epitomes Instit.....	»	»	1882
Compend. Instit. (P. Ramière et P. Besson)..	»	»	1896
Commentar. P. Oswald.	»	»	1892
De confessariis NN. (P. Villada).....	»	»	1892
Operis Moralis S. Ligorii.....	»	»	1797
Hom. Apost.....	»	»	1826
Operum P. Suarez.....	»	»	1860
Comp. Theol. Mor. P. Gury-Ferreres.....	»	»	1906

Instit. Mor. P. Bucceroni	editio	anni	1893
Theol. Mor. P. Lehmkuhl	»	»	1896
Theol. Mor. P. Genicot.	»	»	1900
De Iure Regul. Bouix	»	»	1883
In Decalogum, P. Sanchez	»	»	1628
De Iustitia et Iure, P. Lugo	»	»	1646
Theol. Mor. P. La Croix	»	»	1717
Bibliotheca Fr. Lucii Ferraris	»	»	1795
Casus conscientiae P. Bucceroni	»	»	1901
Ius Decretalium P. Wernz (Praep. Gen. S. I.)	»	»	1898. etc.
Opus Theologicum-Morale P. Ballerini-Palmieri	»	»	1891
Comp. Theol. Mor. P. Aloysii Sabetti	»	»	1902
De Religiosis etc. P. Vermeersch	»	»	1902

Monumenta Historica Societatis Iesu.

APPENDIX AD VOLUMEN PRIMUM

1. Quamvis Moralis Theologia regulam religiosis etiam praebeat in genere, qua licite operentur; plura tamen restant scitu necessaria in singulis religiosis Ordinibus ut peccatum vitetur, et ut ad religiosam perfectionem tendatur, secundum modum proprii Instituti: sunt enim, nec ita pauca, quae in tali Religione, v. gr. Societate Iesu, vetantur aut iubentur, quae alibi libera relinquuntur. Atqui illas Nostrorum proprias obligationes praesertim exponet Appendix. Caeterum sicut vir in saeculo degens, si perfectus esse cupit, non omnia faciet quae ex Theologia Morali licent, nec ideo rem omittet quia sub peccato non obligat; ita, imo fortiori de causa, religiosus, non solum ad vitandas culpas intendet, sed ad perfectionem praeterea totis viribus contendet, quae sibi ex Regula, sine reatu culpae, praescribitur.

2. De probabilismo. (N. 53 sq. Gury-Ferreres.)

«Licet in Societate probabiliorismum docere, etsi communius probabilismus traditur.» Ita gen. Congr. XIII, d. 18. Nunc autem dici posset tradi universaliter a Nostris: sed uniformitas nobis tenenda est, ergo et Probabilismus. Ast quomodo, si ita est, sarta tecta servantur, quae de *unitate* doctrinae, de *securiore, communi, magis probata,* de habendo sancto Thoma ut *proprio doctore,* nobis in Instituto et a Leone XIII praescribuntur? (1). Si cui haec difficultatem pariunt, sequentia consideret: 1.° Nullum ex systematis ad formandam conscientiam maiori consensu quam Probabilismum admitti, nullum practice securius, magis probatum et Angelici Doctoris principiis magis conforme. Hinc 2.° multo maiorem dissensionem in opinando et mutationem extituram, si de gradu probabilitatis, maiori an minori vel aequali, esset discernendum, quam in admittenda simpliciter solida plane probabilitate, quae semel stabilita a plerisque probatur; vixque sic probabilia a certa S. Thomae doctrina, atque a securiori aut magis probata discrepabunt.

«Caeterum non putent Nostri, ait R. P. Beckx, id omne, quod probabile existimatur,

(1) In Constit., Decretis etc., citatis ad vocem *Doctrina Societatis* in indice Instituti, quibus vim addit Enc. *Gravissime vos.*

vulgari posse: nec sufficit quaevis alicuius opinionis probabilitas, ut in scholis nostris tradi, aut in disputationibus defendi possit»; idque, prout responsum pluries est a Patribus Generalibus,—«quamvis in scriptoribus nostris Superiorum approbatione proponatur»:—itemque, «quod quidam Societatis scriptores a S. Thoma recesserint, ratio non est cur alii ipsi adhaerere non teneantur». (Ordinat. pro triennali Philosophiae studio, confirmata per decr. 13 Congr. XXV.—Cf. Ramière, n. 493, simulque decr. 6 postremae gen. Congr.)

Adde quod multa in Instituto recensentur doceri in Societate prohibita, multa e contrario praecepta: cui quidem *oeconomico* iudicio stare tenemur, prout expresse promisimus Societatem ingredientes. (Exam. cap. 3, 11.) (1). Sic v. gr. recenter prohibetur: «ne Nostri faveant, ne indirecte quidem et privatim, opinioni, qua negatur integrum genus humanum, praeter Noe familiam, diluvio periisse». (Cf Oswald, n. 205, sq.)

Tandem pro catholica omnino, simulque communi doctrina inter Nostros custodienda, diligentissime tractat Congregatio nuper celebrata, e qua, si omnia huc transferenda non

---

(1) Praescriptas Nostris aut vetitas doctrinas habes ap. Ramière a n. 495 ad n. 501; de quo etiam Decr. 13 et 14 Congr. gen. XXV.

sunt, aliquid tamen non tacendum. Itaque (decr. 16, 3) inter regulas prae oculis habendas, sequentes statuit: «I. Ut libere possit aliqua sententia proferri, non satis est eam adhuc ab Ecclesia vel a Sancta Sede non fuisse damnatam, sed sedulo etiam attendatur, num sit conformis menti Ecclesiae Sedisque Apostolicae, sufficienter manifestatae, Sanctorum Patrum doctrinae, atque sententiis communi consensu Doctorum catholicorum probatis.

»II. Nihil novi proponatur, quod fidei pietative christianae non prorsus congruat, vel quod fidelibus merito possit offensioni esse, aut quod non probetur vere solidis pro rei gravitate rationibus.

»III. In casibus vero dubiis, quae sit aut non sit doctrina nova, periculosa, minus opportuna, parati sint omnes ad suum iudicium Societatis iudicio submittendum. Superiores autem atque alii, qui hac de re iudicare debeant, mentem Ecclesiae et S. Sedis ante omnia prae oculis habeant...

»VI. Nostri Magistri omnes, et praesertim ii, quibus Nostrorum institutio commissa est, probe intelligant, se non suo, sed Societatis nomine, eo munere fungi; ideoque discipulorum animos, non suis privatis et singularibus opinionibus, sed doctrina a Societate probata, imbuere debere.»

Idem re olim decreverat Congr. gen. XI,

can. 4.° Igitur sententiam, quae conformis non sit sententiis communi consensu Doctorum Catholicorum probatis, nequit filius Societatis *libere proferre*, puta, illam approbans in libro, in schola, sive Nostrorum sive externorum alumnorum, in Casibus conscientiae; *libere* i. e. nisi Regulis II et III se subiiciat. Caeterum talem opinionem, si vere probabilis habeatur, non prohibemur in praxi privatim sequi, v. g. poenitenti aut consulenti permittere. (Cf. Resp. Gen. ad n. 491 P. Ramière in nota.)

Ad hanc itaque Instituti nostri Regulam attendendum nobis est, non vero ad singularem sive auctoris sive Magistri etiam ex Nostris opinionem; ideo enim Regulas innovat Societas, imo eas urget ipse Vicarius Christi, tum Leo XIII (Enc. *Gravissime nos),* tum Pius X (Enc. *Pascendi)* contra modernismi criticen, quam cavere debemus maxime in sacra Exegesi et in Historia ecclesiastica (1).

Quod vero hisce legibus aequa NN. libertas non coarctetur, vide, sis, in n. 5 citati supra

---

(1) Huc spectat encyc. P. N. epist. ad Societ. Superiores modo data, 18 Jan. 1908, de cavendo Modernismo. Porro Modernismum docemur a Papa Pio X esse *omnium haeresium complexum:* sed et modernismi errores, qui haeresim non attingunt, omnes et singulos damnari sub excommunicatione latae sententiae Papae simpliciter reservatae (Ita ex Motu Proprio 14 Nov. 1907): ubi advertas, quaeso, in Constit. *Pascendi* damnari, uti ad Modernismum spectantes, capitales Liberalismi errores, nempe. «Statum ab Ecclesia dissociandum, sicut catholicum a cive», prout ibidem explanat Summus Pontifex.

Decreti 16; curatur contra soliditas et uniformitas, ac proin caritas et auctoritas; illa inter nos, haec erga proximos ad maius Dei obsequium.

Volo hic adductum, ne perdatur eius memoria, gravissimum de hoc S. P. N. Ignatii documentum. «Cum autem esset inter Praesules Concilii [Tridentini] aliquis, qui validas, rationi consonas, sed tamen novas aliquas opiniones in medium adferret, P. Ignatius suam de huiusmodi opinionibus sententiam nostris significari voluit; et ea fuit, quod, etiamsi rationes hinc et inde aequales adferrentur, nunquam tamen opinionem ullam sibi in medium proferendam videri, quae declinare vel accedere ad haereticorum, aut res novas sectantium opiniones videretur; et hoc, quamdiu ab Ecclesia alterutra pars non constitueretur, esse servandum.» Ita P. Polancus in *Chron. Soc. Iesu.* ad ann. 1546, vol. I, pag. 181, n. 132. (Monum. Hist. Soc. Iesu.)

3. De duratione praeceptorum. (N. 64.)

Quamvis praeceptum generatim a lege differat ratione durationis, bene tamen docet P. Bucceroni (Inst. mor. 171, 5.°) in certis casibus praeceptum durare post mortem praecipientis. Atqui in Societate perdurant praecepta, *in virtute sanctae obedientiae,* etiam particularibus imposita personis; itemque ordinationes Generalis, responsa ad Provin-

cias, privilegiorum communicatio, particulares concessiones, eiusque generis alia, donec a successore revocentur. (Cf. Cong. gen. VII, d. 72; IX, d. 12 et can. 4; XVII, d. 12; itemque Ordinationem P. Mutii apud Ramière n. 13.)

Caeterum praecepta Societatis, quibus omnes ejus filii obligentur, in speciali catalogo, quotannis ad mensam praelegendo, constant, nec alia in vigore sunt. (Cf. Indicem Inst. gen. ad vocem *Praecepta.)*

4. De interpretatione legum. (N. 112, sqq.)

Omnibus, sive intra sive extra Societatem, prohibitum est per Bullam *Ascendente Domino,* Constitutiones aut Institutum Societatis interpretari, nisi prout verba sonant, absque facultate Generalis aut aliorum inferiorum Praepositorum; necnon interpretationes tradere aut retinere. Generalis Praepositus edere interpretationes potest, facitque fere per *Responsa,* aut per *Ordinationes,* etc. Eiusmodi interpretationes ab omnibus, uti praxis bonae gubernationis postulat, accipiendae sunt; esto vim legis generalis non habeant, nisi a Congregatione Generali edantur. (V. Comp. Privil. n. 363.—Ramière, n. 14.)

Nec ideo vetari videtur, usu ita invalescente, ut quis declaret quemadmodum aliquem Instituti locum intelligat; vetatur autem ne

sibi in hoc auctoritatem iuridicam arroget, nec contra obviam aut authenticam interpretationem eat. Id completur ex dicendis (N. 41, 2).

Certe rectus epikeiae usus, qualis apud Gury probatur n. 113, illicitus in Societate non est; ast melius, quod Sancti nostri fecerunt, servatur Regula, semper ac eius praxis non reddatur in tali casu illicita, nedum nimis difficilis: nempe nisi hic et nunc cesset *contrarie* finis adaequatus (1).

5. De lege poenali. (N. 134, quaeritur 3.°)

Leges in Ordine nostro conditae aut condendae, exceptis votis Societatis, itemque praeceptis in nomine D. N. Jesu-Christi, vel in virtute obedientiae, non obligant ad culpam, neque venialem. (Const. p. 6, cap. 5.) Excipe praeterea, ex iure communi, ut notat P. Suarez, si quid sub excommunicatione imponitur (2). Nimirum voluit S. P. N. Ignatius, ut «loco timoris offensae succedat amor et desiderium omnis perfectionis, et ut maior gloria et laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur».

Sunt igitur Regulae Societatis, ut probat P. Suarez (De Relig. tr. 8, l. 1, c. 2), leges poenales, quae, in conscientia seu sub peccato,

---

(1) Cf. Genicot, vol. 1, n. 128.

(2) Quae ius naturale continent aut ecclesiasticum, obligant quidem ad culpam, sed non quatenus a Societate emanant.

solum obligant ad poenam, quae forte imponi sub peccato a Superiore significetur. Id velim intelligas *de vi Regulae,* nam quod in deliberata rei praescriptae infractione, aut in poenae simpliciter impositae omissione, fere semper *per accidens* aliqua culpa peccetur, communis est sententia Doctorum. Imo etiam cum non peccas, violatio tamen illa a violatione seu omissione differt consilii supra regulam; in hac enim religiosus non censetur deesse suo muneri, si autem suam regulam transgrediatur, deficere censetur a sua obligatione: ita Suarez (n. 2, c. 2, l. 1, tract. VIII De Relig.). Nec enim Deus vult ut quivis in Religione, v. gr., a carnibus abstineat, vult autem ut Regulam observet.

Iam, quaenam in Instituto nostro vim legis sortiantur, paucis habe.—1.° *Litterae Apostolicae,* unde potissimum Compendium Privilegiorum conflatur. His constat primum Instituti volumen, in editione anni 1892: spectant autem, ubi praecipiunt aut vetant, ad leges *morales.*—2.° *Examen* et *Constitutiones* Societatis Iesu cum Declarationibus, itemque *Decreta et Canones* Congregationum Generalium cum earumdem formulis. Haec secundum volumen efficiunt.—3.° *Regulae,* sive communes, sive particulares; insuper *Ordinationes* Generalium stabiles seu perpetuae, ad quas potissimum pertinent Instituto ipsi iam insertae,

quin etiam et aliae, quas Generalis Praepositus inter perpetuas asservari iussit.—4.° *Consuetudines* debitis vestitae conditionibus: quod in numero 6, pag. 23, latius explicatur.

His ergo constituitur ius nostrum, suntque omnia leges: *leges*, inquam (exceptis Pontificiis, et votis, et praeceptis in virtute obedientiae aut sub excommunicatione) *poenales* per se, ut supra probatum est. (Cf. Oswald, n. 15). Certe, Ramière, n. 7, Ordinationes et Regulas legibus Societatis non adscribit, sed eas obligare numero 17 affirmat: dici ergo queunt leges *simplicis administrationis:* non fundamentales, quibus ipse Generalis subest, quippe datis a Cong. Gen. (Cfr. Congr. G. VII, d. 76).

E contrario Ordinationes, sive temporales sive particulares, quamvis obligent pro tempore et personis, deficiunt a legis natura. A fortiori autem *Instructiones*, etsi in Instituto inscriptae, quibus *tantum* directionis vim attribuit Decr. 81, Congr. VII.

Ordinatio aut Responsum Praepositi Generalis ad declarandas vel Constitutiones, vel Decreta Congregationum, non habet vim legis universalis, sed valet ad bonam gubernationem. Ita ex can. 21, Congr. IV. Imo vero, quaevis Generalis Praepositi responsio vel ordinatio vi *directiva* pollet ubique; *praeceptiva* autem inter illos solum, ad quos mittitur. (Os-

wald, n. 16. — Id vero *per se*, nam saepe, quae in Ordinatione aut Instructione prostant, obligant aliunde sub gravi, uti de Regulis dicitur.

Quid vero de Ratione Studiorum? — Obligat pariter ac caeterae Regulae et Decreta. Decretis namque Congregationum praescribitur observanda atque urgenda eius executio, uti et caeterorum, quae de studiis Constitutiones, Ordinationes et Decreta statuunt. (Decr. 13. Congr. XVII. Imo postrema Congr. (XXV, d. 12. n. 5) statuit «ut iuniores nostri scholastici iuxta Rationem Studiorum Societatis, quoad substantialia integre omnino servandam, solide instituantur, quam ut bene intelligant magnique faciant, curandum quoque est».

Ast Ratio vigens minime in Instituto quaerenda est, sed separatim habetur a P. Roothaan ordinata, itemque pro triennio Philosophiae Ordinatio P. Beckx: de quibus videnda sunt recentiorum Congregationum Decreta. (Decr. 10. Congr. XX; decr. 15. Congr. XXI; decr. 34 et 38. Congr. XXII; decr. 24. Congr. XXIV; decr. 6. 12. 13. 14. 15 et 16. Congr. XXV.) Quibus observari praescribuntur tum Ratio, tum memorata Ordinatio, in his nempe, de quibus sive in ipsis Decretis aliter statutum non est, vel etiam a Provinciae Praeposito cum Generali posthac statuatur. Paratur etiam nova Ordinatio pro scientiis sacris, novusque

Catalogus rerum in quaque schola docendarum.

Quare leges Societatis de studiis ad eas spectant, quae supra indicatae sunt; e quibus, quas poenales diximus, eadem omnes obligationis specie nos constringunt. Quodsi quandoque Constitutionibus prae Regulis aut Ordinationibus vis maior tribuitur, id fac intelligas de maiori immutabilitate, de difficultate dispensandi, forte etiam de graviori poena, qua transgressor puniri debeat. Ut ergo adimpleamus quaecumque nobis per leges nostras aut per Superiores ordinantur, movere nos debet charitas primario, timor etiam secundario: *charitas,* inquam, erga Deum, illud ex me expresse volentem; erga Christum, quem sic imitor; erga me, quippe qui mihi gratiam et gloriam augeo; erga Societatem, cuius bonum statum foveo; erga proximos, quorum saluti et perfectioni consulo. Si vero quem minus urget charitas, urgeat *timor:* poenae, inquam, timor, cuius reus fio, non solum coram Superiore, sed aliquo modo coram Deo, cuius gratias minime demereor; timor insuper et culpae, quam licet per se non secum ferat transgressio, vix aberit, sive ob specialem Regulae materiam aliunde praeceptam, sive ob malum infractionis motivum, sive tandem ob damnum, quod aliis aut ipsi Communitati praestetur. (Cfr. Suar. De Relig. tr. 3, l. 10 c. 7, n. 16.)

6. De Consuetudine in Societate. (N. 137.)

Ius nostrum, ut numero praecedenti innuimus, consuetudines admittit, quae si a Superioribus approbantur et ordinantur, obligationem inducunt, ut per se patet. Sic in universa Societate ex *originario quodam usu,* ut ait Oswald n. 551, Litaniae in communi recitantur; quibus tum consuetudine tum Congreg. Gen. decretis preces aliae additae subinde sunt ad formam hodiernam. Monent autem nos PP. GG. in Resp., «ne illas nimis cursim dicamus»: itemque declarant etiam Provincialem adesse debere; quamvis nec absonum nec improbabile videtur, quod docet Suar. tr. 10, l. 8, c. 2, n. 4, «eum, qui abfuit, non teneri privatim recitare» (ap. Ramière n. 305). Praeterea in singulis Soc. provinciis, et in Collegiis et Domibus, praesertim Novitiorum, est *Consuetudinarium* seu liber Consuetudinum «quo, ut habetur in D. 90 Congr. VII, Superiores et Ministri ad manum habeant ea, quibus ordinem domesticum certius dirigant». En de hac materia quid in Regulis, (6 Prov., 5 Praep. et 4 Rect.) praescribatur: «Nullae consuetudines, toti Provinciae communes, abrogandae aut novae inducendae, inconsulto Generali: approbatae servandae, novae a nemine introducendae nisi suo Superiore approbante». Caeterum hoc proprium Societatis est, ut quaelibet

consuetudo, quamvis tolerata et tempore praescripta, si contra legem existat, omnino reiicienda sit; talis enim usus, si adsit, vocari debet, ait P. Claudius, abusus et *corruptela*. (Cfr. Ramière n. 15, Oswald n. 18.)

7. De liberalismo. (N. 210, quaer. 4.°)

Quamquam neminem latet Societatem palam profiteri, non solum firmissimam doctrinae Romani Pontificis adhaesionem, sed illius pro viribus defensionem, iuvat nihilominus hic recordari decreti 12 Congregationis XXIII, quo Societas ambabus ulnis encyclicam *Quanta cura* et *Syllabum* amplectitur, reprobans speciali modo Liberalismum, qui catholicus dicitur. Quod autem Nostris vetitum est, ne scilicet de potestate Summi Pontificis in reges et principes publice disputetur aut in scholis doceatur; id nihil obstat quominus liberalismi et principia et consequentia debito modo, iuxta ordinationem P. Beckx pro triennio Philosophiae, refutent. Et re quidem vera quaestio, an Papa possit directe vel indirecte regem deponere, aliud omnino ac liberalismus est. Quare in Congregationis XXV decretis 13 et 14 praescribitur, tam pro Philosophiae schola quam pro aliis, recentium errorum refutatio.

Ex his una cum Rationalismo, quod est rebellio rationis contra doctrinam Dei et Ecclesiae, primum occupat locum systematica re-

bellio voluntatis contra divinam et humanam auctoritatem, seu liberalismus (1); systema, inquam, quo ipse Status, ut aiunt, nedum eius separatim membra, moventur contra Ecclesiae vitam et publicam actionem; «apposite comparatum, ut verbis Pii IX utar, ad debilitandam ac fortasse etiam delendam Christi Ecclesiam». (Alloc. *Iam dudum,* 18 Mart. 1861.) Quomodo ergo Societas nostra, cui S. Fundator tesseram dedit *Obedientiam,* satanicum hoc rebellionis universalis systema non totis nervis conetur exstirpare?—«Manifestentur populo, ait Leo XIII, clare omnino et exacte, omnes res, quae Liberalismi notam merentur, ac ideo improbationem Ecclesiae.» (Epist. ad Episc. Colombiae.) Non itaque tacendum est de Liberalismo, quamvis modus eum impugnandi sapientia et prudentia polleat necesse est. Atqui huc facit Instructio ad Nostros in Hispania, quam P. Anderledy misit anno 1889, quamque vicinus morti confirmavit P. Martin anno 1906.

Vide de hac Instructione P. Ramière n. 500, in editione anni 1896.

En quae ex ipso P. N. Anderledy Fesulis accepi: «Non puto, ait, Nostros infici errore, quem Liberalismum Catholicum dicunt; timeo potius ne, qui illum speculative execran-

(1) Ita ex Enc. *Libertas,* quam cum caeteris Rom. Pontificis documentis callere omnino debemus.

tur, eumdem practice sequantur.» Sed de hoc periculo eius successor, P. Ludovicus Martin, in sua ad Societatem epistola nos admonet.

Caeterum neque ut contra Liberalismum aut alia mala agamus, limites obedientiae transiliendi. Adeatur P. Ramière n. 528, ubi de alienis ab Instituto agit ex Constitutionibus, ex Generalium Congregationibus, necnon ex Patrum Generalium responsis: videlicet, refutatio et insectatio erroris ad nos spectat, itemque arcere ab errore proximos; *actio politica* contra erroris protectores ad nos non pertinet. Attamen munus nostrum est officia docere sive privata sive publica, exigere etiam ab iis, qui e nostro ministerio pendent, eorumdem adimpletionem ad mentem Enc. *Sapientiae* a Leone XIII, et ad Regulas a Pio X praescriptas in Motu Proprio 18 Dec. 1903.

8. De correctione fraterna. (N. 232.)

Quoniam, omissa fraterna correctione, usurpatur in Societate denuntiatio paterna, id est, ut ait Suarez, quae fit ad damnum emendandum vel impediendum, quaeritur hic, 1.° Quando sit *illicita*. 2.° Quando *obligatoria*. 3.° Quando *libera*.

1.° *Illicita*. Quandoque esse illicitam affirmant plures e Nostris, ut Suarez (l. 10, cap. 9, nn. 12 et 17), Lugo (Resp. mor. l. IV, Dub. 46, n. 8), Palaus (tract. 6, D. 9, n. 4) et alii. Qua-

re, loquens de Societate etiam, S. Ligorius sic concludit: «Ergo cessante necessitate remedii, non potest crimen (alterius) manifestari», (De praec. partic. n. 245), puta si constat de emendatione, nec aliud damnum timeatur. A fortiori non poterit manifestari, si in aliquo casu denuntiatio, omnibus bene perpensis, credatur, non remedio, sed maiori damno futura: tunc autem alia via remedium procuretur. Nempe denuntiatio paterna est secreta culpae alienae manifestatio, ut *correctio* melius a patre quam a fratre adhibeatur (1).

Quod si obiicias denuntiationem non unice ad remedium, sed etiam ad spiritualem profectum delati fieri, respondetur distinctione: fit ad profectum, qui ex ipso remedii usu proveniat, C.; independenter a remedio, N. Ideo, ut observat etiam S. Ligorius, in Congr. VII, decr. 12 praescribitur ut denuntiatio non nisi Superiori fiat, «tamquam illi (sic Ordin. cap. 6, n. 2), qui remedium necessarium adhibere potest». Consule etiam Congr. VI, decr. 32, n. 1, et dicenda n. 59.

Quid, quod Superior, ad quem, ex Regula et cessione iuris nostri, potest denuntiatio fieri, non intelligitur, declarante P. Mutio, Minister, Admonitor vel Praefectus spiritualis,

(1) De *iudiciali*, seu ad vindictam iustam, nihil speciale habetur in Iure nostro, nec fere usurpatur nisi contra ambitum. (Cf. Suar., l. 10, c. 10, n. 10 et seq.)

nisi aliquando extraordinarie charitas id suadere videretur, consilio Doctorum adhibito? (Resp. 17. Apr. 1616, ap. Capita oetting. n. 331.) Tum de correctione fraterna, tum de denuntiatione optime agit Lehmk. v. 1.°, n. 610, 812.

Manet ergo, illicitam aliquando esse denuntiationem paternam.

Quando autem et de quibus rebus *necessario facienda sit,* modo dicetur. (Cf. Epitomen ad vocem *Denuntiatio,* aut in Ramière n. 37.)

2.° *Praecepta.* Hinc intelliges manifestanda esse ea, quae quis indirecte novit, haud secus ac ea, quae per se notavit; hinc quando delatio obliget. Nempe, ut ait Cong. G. VI, Decr. 32, n. 7, «in delictis, quae vel in detrimentum boni communis, vel in damnum tertiae personae vergunt». Tuncque sub gravi urget ex iure divino, ita ut, qui tali obligationi renuit satisfacere, habeatur *incapax absolutionis.* (Ordin. GG. cap. 6, nn. 2 et 9.—Resp. General. 1622 ap. Ramière): salvo tamen secreto, prout sub n. 14 dicetur.—Sunt qui obligationem deferendi extendunt ad quodvis mortale peccatum, et ad defectum, qui talis peccati suspicionem ingeneret. (Capita oetting. n. 324, citato Suarez.) Verum, quare id in Instituto nostro non exprimitur? Forte ne quis ideo putaret denuntiandum esse peccatum, quod remedio non eget. Locum igitur

ex Suarez (l. 10, c. 9, n. 2) allatum sic interpretor, ut loquatur de communiter contingentibus, quippe quod in Societate ex mortali peccato, aut ex illius suspicione, fere grave damnum timendum sit.

Iam, quid Superior, cui fit denuntiatio, facere queat, quid non queat, salvo secreto, habetur in Congr. VI, d. 33.

3.° *Libera.* Tandem in aliis rebus, id est, quando non agitur de delicto, sive patrato, sive probabiliter patrando, unde supradictum damnum aut delinquenti aut alii timeatur, communiter denuntiatio, vel correctio fraterna, quamvis fieri *potest,* nec delato, si fiat, aut correcto conqueri liceat; tamen non expedit, nedum obliget, nisi Superior roget, aut eam praescribat. (Cf. Suarez, l. 10, cap. 7, n. 21.) Ast, cognita in aliquo tentatio gravis manifestanda est Superiori ex Regula, imo aliquando ex caritate sub peccato.

9. Circa pravos libros, ephemerides, etc. (N. 241.)*

Hodiernam pravorum omnis generis scriptorum colluviem passim Rom. Pontifex et Episcopi lugent ut efficaciorem perdendi animas causam; quae quidem, dum asseclae liberalismi imperant, fit in dies potentior. Itaque, quotquot caritate Christi urgemur, sicut omne ope in exstirpanda radice adlaborare, ita cave-

re debemus eius fructus aut destruere, sive apud nos sive in externis ubique. Certe nostra mater Societas semper multumque huic pesti invigilavit, hisce potissimum temporibus, quando lues undequaque grassatur. Atqui huc omnia transferre quae de hac re praescripta sunt, praeterquam quod pene infinitum esset, necessarium non puto ad nostrum finem. Praescribitur Superioribus in Regulis selectus librorum, quos sive Novitiis, sive Coadiutoribus fratribus, sive scholaribus permittant, eorum etiam qui ad mensam legantur. Sed Praefecti bibliothecae Regula 1.[a] sic se habet: «Indicem librorum prohibitorum in bibliotheca habeat, et videat, ne forte ullus sit inter eos ex prohibitis, aut alii, quorum usus communis esse non debet.»—Haec in Constit. S. P. N. Ignatii fundantur (P. 3 c. 1 M; P. 4 c. 5 n. 4 E, et c. 14 n. 1 A), ubi non solum vetamur libros profanos domi habere, sed a scholis iubemur amandare libros christianorum aut suspectae doctrinae, aut, licet doctrina sit bona, suspecti auctoris.—Profani autem sunt lascivi aut vani (Reg. 36 Rect.), aut magici (v. g. spiritistae), qui comburendi sunt. (Resp. Gen. ap. Ramière n. 145.)

Verum iuvat transcribere ex Ordin. c. 2 n.[m] primum: «Libri veterum obscoeni, non expurgati, quamvis in Indice prohibiti non sint, Nostris tamen, etiam Magistris, nisi ma-

turis et qui sine periculo uti possint, non permittantur; Scholasticis autem nullo modo. Recentiores vero, quocumque idiomate scripti, nemini concedantur. Spirituales item, qui, licet pii videantur, Instituto nostro minus congruunt, ut Taulerus, Rusbrochius, Harphius et alii huiusmodi, Nostris passim ac sine delectu non permittendi. Musici denique, qui turpem dictionem habent, vel sonum cui subesse obscoena aut vana putentur, penitus interdicuntur. Quinam porro ex libris prohibitis servari in Collegiis nostris et quo loco debeant, quorumve usus et quibus concedi a Rectoribus queat, decernet Praepositus Provincialis.» *(Everardus.)*

Adhuc his addendae fuerunt, eaeque summi momenti cautelae, ut modus imponatur lectioni diariorum, ephemeridum, libellorum etc. Commendavit id R. Patri Nostro cum Provincialibus decr. 15 Congr. Gen. XXII., atque in unaquaque Provincia decisis standum est, quae quidem *in suo robore adhuc manent,* ait P. N. Martin (Epist. ad Societatem 4 Oct. 1896). In hac epistola, quae tota in id vergit, ut caveant Nostri spiritum levitatis itemque freni impatientem, per multas paginas (a n. 21 ad n. 30) insurgit contra abusum perdendi tempus in pervolutandis foliis, libellis ludricis, curiosis, ineptis, quod totum debetur sive ut nos ad ministeria vocationis nostrae propria praepare-

mus sive ut ea exerceamus ad maius Dei obsequium. «Nonne (ait n. 26) tristissimum et miserrimum foret, si severissimi iudicii die nos accusaturi consurgerent tot homines, qui ab aeterno interitu a nobis salvari potuissent, si quod temporis quotidie ad ephemerides ineptosque libros legendos impendimus, ad ministeria vocationis nostrae propria contulissemus?» —Tandem omitti hic non debet n. 3 d. XI Congr. XXV, qui sic se habet: «Ut pericula circa fidem ac mores, nostro tempore gravissima, a Nostris removeantur, Scholasticis, sine gravi ratione, librorum vel elucubrationum periodicarum lectio, quae eorum fidei vel moribus nocumentum afferre possit, non permittatur; sed si quando libri huiusmodi, ratione officii aut studiorum, legendi sunt, licentiam a Superiore petant, qui eam non nisi qua par est prudentia ac vigilantia concedat. Sacerdotes ipsi ne putent se libros periculosos sine necessitate impune legere posse. Cuicumque tandem liber, vel generalibus vel specialibus Decretis S. C. Indicis prohibitus, legendus sit, is necessariam facultatem petere ne omittat.»—Sed de his satis: quamquam illud praeterea notandum est, quod simili nobis vigilantia utendum est erga externos quibuscum agimus; simili, inquam; exigere enim ab eis nequimus, nisi quod ab omnibus exigit aut Ius Dei aut Ecclesiae, prae oculis tamen habentes

S. Lig. monitum: «In hac materia expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi.» (App. III De prohibit. librorum c. V, n. VIII), quippe mitioris usu aut monitionis omissione non tollitur proximo periculum in fide aut moribus, itemque scandalum aliis generandi. Gravissima quoque ad id movet animadversio Pii X contra haeresim Modernismum, cuius in praecipuis causis ab ipso Papa designatur *Curiositas* sciendi et legendi quaecumque a quovis, etiam acatholico, effutiuntur. «Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.» Doctor noster Eximius, se ipso teste (Praef. defens. Fidei cathol.) noluit Lutherum legere, sed satis habuit eius haereses in Bellarmino videre, qui eas in Controversiis refutavit.

10 De spectaculis. (N. 246.)

En quae mense Maio 1885 P. N. Anderledy respondit: «De actionibus scenicis postulatur a me, ut statuam, quid sit omnibus Galliae provinciis observandum. Equidem rem esse definitam existimo in Reg. 13 Rectoris in Ratione studiorum, quae tragoedias et comoedias nonnisi rarissimas latinasque esse vult, quarum argumentum sit sacrum et pium, personamque muliebrem et habitum prohibet. Et haec quidem statuit pro iuvenibus externis. Non autem video actiones scenicas iuvenibus nostris in Instituto permitti.» (Ap. Ramière n. 506.)

Quae responsio, licet ad Gallias data, toti nihilominus Societati declarat quid hac in re ex Instituto colligatur. Tamen in collegiis, ubi actiones scenicae in usu iam sunt, aliquando tolerat Societas, servatis servandis, quae apud Ramière reperies loco citato.

11. De cessatione et dispensatione votorum. (N. 329-333.)

Adverte hic cum S. Ligorio (De Decal. l. 3 n. 255; l. 4 De Praecep. partic. n. 50) vota, quae in Instituto aut Congregatione religiosa emittuntur, ad illa spectare, in quibus intercedit obligatio contractus; quare neque cessant obligare ob quamcumque notabilem difficultatem, neque remitti possunt, nisi aut ab ipsa Congregatione, aut a Romano Pontifice. Sed plura de hoc cum de votis et privilegiis Societatis, unde constabit contractum, qui ex votis simplicibus oritur, non esse *perfecte* aequalem, esse tamen *simpliciter* bilateralem, ita ut ius in scholastico Societatis non sit *mere precarium*. (Cfr. Wernz. Ius. Decret. t. 3.° n. 641.)

12. De loco celebrandi Missam. (N. 348.)

Quod Nostris conceditur de oratorio, de altari portatili deque celebratione in navi, habetur infra, inter privilegia Societatis.

13. De Magistris. (N. 384.)

Nostris in discendo et docendo peculiares sunt obligationes, non solum quoad doctrinam, de qua n. 2 actum est, sed quod ad alia. Discipuli proprias habent Regulas, sc. Scholasticorum, pro quibus praeterea et simul pro Magistris composita est, ex d. 10 Congr. G. XIV, *Ratio discendi et docendi* (auctore P. Ioseph Iuvencio) ubi plurima reperies pro quibusvis temporibus utilissima: v. g. De variis doctrinae parandae adminiculis—De notis et excerptis—De ordine studendi—De frequentioribus studentium erratis: itemque—De imbuendis pietate discipulis—De puerorum paedagogis—De frequentioribus docentium vitiis. Sed praecipue attendendum est ad Rationem Studiorum, prout dictum est n. 5. Audi ex d. 12, quid dicat Congr. G. XXV, n. 1: «Incommoda autem, quae metuuntur, quo certius evitentur, enixe commendatur studium sanae illius paedagogiae, cuius principia a S. Patre nostro in Const. P. IV sobrie exponuntur, in Ratione Studiorum evolvuntur, et a Scriptoribus Societatis haud paucis luculenter explicantur.» Utique fatetur Cong. (loc. cit., n. 2), «ne novam quidem Rationem Studiorum Patris Roothaan hodiedum satis observari posse», unde aliqua aut immutata sunt aut immutabuntur (prout n. 7 innuimus); sed nihilominus sic (n. 3) concludit: «Servanda deinde

omnibus, quantum fieri potest, et in quacumque demum materia tractanda, ea methodus, quae Societati est propria et in Ratione Studiorum commendatur» (1). Nempe non solum quoad doctrinam, de qua non pauca monuimus sub n. 2; sed quoad modum eam tradendi, meminisse Magistri nostri tenentur «non suo sed Societatis nomine, eo munere fungi» (n. VI, D. 16 cit.); nec integrum proin cuique esse alia paedagogia, alia methodo uti. Denique prae oculis habenda est a Magistris, qui Nostris aut in Seminariis Rhetoricam docent, Epistola *de sacra Praedicatione,* quam maxime ad Regulares misit anno 1894 S. Congr. Ep. et Reg.

14. De secreto. (N. 468.)

Cum de denuntiatione egimus, numero 8, remisimus huc, ut de secreto in Societate servando diceretur. Itaque, quamvis alicubi responsum fuit nihil inter nos secreti esse, quod superiori celandum sit, nisi res conscientiae P. Spirituali, aut Confessario manifestatae, (Ramière n. 152, in nota 1.ª); tamen Congr. VI, decr. 32, tum Ordin. cap. 15, p. 1.ª n. 4 declarant verba Regulae «per quemvis, qui extra

(1) Egregie, paucis abhinc annis, methodum Societatis prae recentibus aliis valere demonstravit P. Paulus Hernandez e Prov. Arrag. S. J., in libro, quem Resp. Argentina proemio donavit.

Confessionem eas acceperit» non intelligenda esse de iis, quae quis cum *aliquo* communicat secreto, ut consilio juvetur. Si quando autem ob graves rationes consiliarius dubitet, num debeat rem Superiori manifestare, consulat tunc diligenter Doctores. Ibidem, i. c., in eadem Congr., sed d. 33, itemque in parte 2.ª cit. cap. I Ordin., reperies, quatenus Superior secreto teneatur tum erga denuntiantem, tum erga denuntiatum. Sed ad mensam audimus bis in anno quid secreti Superiori praescribatur de revelatis, quando ratio conscientiae redditur. Salvo nihilominus secreto, usus rerum, quae in reddenda conscientiae ratione, extra Confessionem, communicantur, licet per se in ordine ad finem, quem S. P. Ignatius rationi conscientiae assignat, ut, postulante Congregatione XXIII d. 47, P. Anderledy explicat. In praxi tamen, ait, quoad externam gubernationem, a tali usu generatim abstinendum est. Adde, ex aliis Responsis, neminem e Societate dimitti ob delictum occultum, quod ipse in sola conscientiae ratione aperuit; quin ideo negetur obligatio dandi consensum in dimissionem, quando judicio Superioris id exigant praecavenda scandala, aut fama Societatis. (Cf. Ramière n. 316: Oswald n. 585.) Hinc apparet Nostros proprie, neque per obligationem reddendi conscientiae rationem, neque per obligationem paterne denuntiandi, iuri ad fa-

mam renunciare; solumque cedere iuri, si quod est, ne culpa, quin fraterne corrigatur, manifestetur Superiori, eo tamen fine, ut, tanquam pater, salvoque secreto, remedium adhibeat. Sed neque talis manifestatio respondet verbis Christi: *dic Ecclesiae,* quae spectant ad denuntiationem stricte dictam, seu iudicialem, in qua communiter testes ad punitionem iuridicam exiguntur. (Cfr. Busemb. l. 2, tr. 3, c. 2, dub. 4.) Caeterum, si ad causas advertas, quibus invertere ordinem a Christo D. indicatum Doctores, salvo secreto, concedunt; illas saepe inter filios patrisfamilias, nedum in quavis communitate, deprehendes, quin ius ad famam obstet: nempe ut correctio aptius fiat a patre aut matre, quam a fratre.

Quantum ad secreta ab externis tradita spectat, Nostri iure communi tenentur. (Cf. S. Ligorium. De praec. part. n. 49.)

APPENDIX AD VOLUMEN SECUNDUM

15. De natura status religiosi. (N. 137 et sqq.)

Saepe in Theologia morali sermo fit de obligationibus, iuribus, privilegiis, poenis, quae ad eos attinent, qui professionem, vel vota publica emittunt, aut Religioso Ordini incorporantur. Ne autem erres in harum rerum applicatione, notandus venit sensus, quo professio, votum publicum, incorporatio adhibentur in Societatis Instituto: itemque quo sensu in Iure Canonico ante Pium IX, quo sensu postquam in omni Ordine Religioso et in Congregationibus fiunt vota simplicia. Itaque, tum in Iure, ante Pium IX, tum in Instituto nostro, professio et professus fere respondent votorum solemnium nuncupationi; cum autem alia ex parte certum omnino sit Nostros per vota biennii seu simplicia religiosos *vere et proprie* dici et esse, (Const. *Ascendente Domino* Gre-

gorii XIII); quaeritur an ipsis quadrent, quae de Professis statuit Ius Canonicum ante Pii IX decretum. Affirmat Suarez in favorabilibus, distinguit in caeteris, prout Ius fundetur in solemnitate, vel solum in religionis statu. (De Relig. Soc. l. 3 c. 5 n. 5.—Ramière, n. 17.) Ast quae in iure recenti de professis statuantur, nisi ibidem ad solemniter professos restringantur, aut de specialibus Ordinibus sermo sit, Nostris etiam, per se, scholaribus et coadiutoribus aptanda sunt, cum vox *professio, professus* nunc temporis emissioni votorum simplicium etiam in Congregatione religiosa tribuatur. *Per se,* inquam, sc., nisi privilegio non derogato eximamur. Similiter, quamvis eadem biennii vota dici non soleant apud nos *publica*, quippe quae sine externis testibus nuncupentur, canonice tamen publica sunt, quatenus nomine Ecclesiae a Superiore acceptantur, sicque a votis saecularium, quae privata audiunt, distinguuntur. (Gury-Ferreres, n. 129.) Privata vocantur simplicia ap. Suarez (De Relig. tr. 7 l. 10 c. 3); sed denominatio haec confusioni ansam praebet, quia vota religiosorum aliqua simplicia sunt, quamquam non privata. (Cfr. Wernz, Ius Decret. t. 3, n. 572 not. 10, n. 590 not. 13, n. 591 IV. V.). Tandem vota biennii emittentes vere in Societatem incorporantur, atque in gradu *approbatorum* constituuntur. Ita in Const. P. V. c. 1 A.

Cfr. Suar. De Rel. Soc. l. 3 c. 5 n. 8: l. 7 c. 4: Oswald n. 296 et seq. -- Ramière n. 162 Usu tamen vulgari *incorporatio, graduatio* solum de formatis dicitur. Ergo de quocumque apud nos formato, sive Coadiutor sit sive Professus, optime loqueris, si dicas illum *ultima vota* fecisse.

16. De discrimine votum inter solemne et simplex. (N. 170.)

Quaestio haec in genere ad materiam huius appendicis non spectat; quoniam vero ad substantiam pertinet Instituti nostri diversitas graduum et votorum; explicandi nobis sunt effectus voti, sive simplicis sive solemnis, in Societate, unde obiter constabit quid de discrimine utriusque voti tenendum esse videatur.

Ac primo quidem certum est tum vota biennii nostra inhabilem ad matrimonium contrahendum voventem reddere, tum vota coadiutorum, qui formati vocantur, quamvis simplicia, incapaces ipsos efficere, non solum matrimonii ineundi, sed etiam haereditariae successionis, sive per testamentum, sine ab intestato venientis, imo cuiuscumque proprietatis aut dominii et etiam iuris ad bona temporalia. Id plenius constabit suo loco, ubi de paupertate agitur.

Ergo per hos effectus non videtur simplex a solemni votum differre, prout aliquibus Do-

ctoribus placet; sed per traditionem absolutam, quae fit in solemni, cum maiori vinculi firmitate et ex parte voventis, et ex parte votum acceptantis. Ita Genicot, vol. II, n. 84.— Cf. Lehmk. vol. 1, nn. 500, 501 et 524: sed praecipue Sanchez l. V c. 1 nn. 11 et 13.

In quo autem haec maior firmitas reponenda sit, ex sequentibus noscetur. Certe vota in Societate simplicia perpetua sunt ex parte voventis. Hinc, qui post vota biennii dimissionem postulat, peccat graviter contra votum, nisi causam veram se habere putet; aut saltem non deesse omnem causam, eamque Superiori manifestans, «paratus sit iudicio illius se submittere»: (Resp. Gen. ap. Ramière n. 375.) Causa autem vera non est censenda *horror laboris et difficultatis,* prouti constat ex P. Beckx apud Ramière n. 155, etsi difficultas *notabilis* appareat; in voto enim religioso, imo in votis Congregationum, praeter obligationem immediate ad Deum, adest obligatio iustitiae ad Institutum; fitque contractus bilateralis onerosus. (Cfr. Gury-Ferreres, t. 2 n. 125 III 3.º). Tamen, quia hic contractus intelligitur profecto iuxta ipsius Societatis Constitutiones, Religio *iusta de causa* dimittere potest, eo quod contractus non est utrinque aequalis nec synalagmaticus. Cf. n. 18.

Iusta causa, si de votis biennii agitur, non una assignatur, scilicet: 1.ª Delicta in Consti-

tutionibus expressa, salvo semper secreto, ita ut nemo invitus dimittatur ob proprium delictum, quod unice in foro conscientiae ipse aperuit. 2.ª Ius tertii, v. gr. parentum. 3.ª Impedimenta, praesertim essentialia, in Examine reticita. 4.ª Insignis ineptitudo; si tamen haec votorum emissionem plane subsequuta est, invitus non dimittetur. In tali casu, «licite, ait Suarez, ille consentire potest, licet fortasse talis consensus non sit laudabilis, nisi magna causa intercedat». (De Relig. Soc. Iesu l. 3. c. 9. n. 15). Cf. Oswald. n. 60, et seq.; Ramière, n. 366: Exam. c. 6, A; Const. l. 2, c. 1 et c. 2.

Firmiora utique quam vota biennii habentur, etiam ex parte Societatis, vota formatorum, sive Coadiutores spirituales sint, sive temporales: solvuntur tamen per dimissionem ex certis et gravioribus causis. Const. P. V, c. IV, B.; Oswald, n. 69: Ramière, n. 366, 3.º Verum solemnia vota adeo firma sunt, ut, quamvis ob gravissimam causam professi eiici aut dimitti queant, votis tamen ipsi maneant ligati: (Ramière, n. 365 et 379: Oswald, n. 70 et seqq.): sunt quippe Societatis filii e domo religiosa eiecti. Caeterum in citatis auctoribus videre licet qua ratione obligationi votorum satisfacere teneantur viri extra Societatis domos eiecti. Item in iisdem auctoribus consulere potes quid iuris sit, si aliquis e Societate ad Episcopatum vel Cardinalatum promoveatur.

(Oswald, n. 78); aut in alium Ordinem transeat (Ib., n. 80), quod quidem fieri nequit, sub poenis gravissimis, nec in Carthusiam, sine speciali Praepositi Generalis Societatis venia; quid tandem faciendum ab eo, qui graviori de causa indultum saecularizationis obtineat. (Oswald, n. 73.)

17. Circa admissionem Novitiorum. (N. 138, 6.°)

Nostra hic non refert praescripta adducere in Societate pro admissione Novitiorum. Quoniam vero recentiora decreta de hac, et de admissione ad Professionem, in scholis afferuntur, iuvat id unice notare, ab huiusmodi decretis, anni videlicet 1848, Societatem exemptam a Pio IX fuisse, attentis quae ex Constitutionibus observamus. Notat P. N. Beckx (n. 5, Epist. ad Provinc., 6 Ian. 1870) ipsa exemptione, a Pio IX concessa, urgeri Societatem ut religiosius servemus quae in Instituto pro admissione praescribuntur. Huc spectat Exam. a S. P. N. Ignatio scriptum; ubi super candidati doctrina adverte quae exiguntur in c. 2, B, et in c. 3, n. 11. Adde quae dicuntur infra, sub n. 21.

18. De valore professionis. (N. 139.)

Vota simplicia, quae, ut vidimus, in praesenti professio simplex audit, facta ante an-

num aetatis decimum septimum expletum, absque speciali Generalis facultate, sunt invalida (Decr. 35 Cong. VIII.); item ante expletum biennium Novitiatus. Professio tamen solemnis extraordinarie potest adhuc a P. Generali decerni ut fiat expleto anno continuo, quin obstet Pii IX decretum. (Ramière, n. 56; Oswald, n. 86 id probant.) Ritus ad eamdem praescriptus non spectat ad essentiam; «essentiale autem est, ut publice votum legatur coram his de Societate et externis, qui adfuerint, atque uti solemne emittatur et admittatur». (Constit., p. V, c. 3, A.) Quod si forte professio quandoque irrita sit, nullam parit obligationem, ut de professione simplici omnes affirmant. (Vide Casus Buccer., pag. 145.) Acceptatio itidem essentialis est, etiam in votis biennii, nec obstat in Constitutionibus dici ea a nemine admitti, id enim eo solum sensu intelligitur, quod de nullo homine in formula fit mentio, ad Deum solum directa. (Congr. IX, d. 39, n. 5.) Cfr. Lehmkuhl, vol. 1.°, n. 494, 501, ubi de natura status religiosi; et fusius Suarez, De Relig. (Tr. 7, l. 2, c. 4, n. 9), ubi acceptationem traditionis seu contractum probat spectare ad substantiam status religiosi in communitate; quem contractum ostendit adesse in votis biennii Societatis. Id ipsum docet Sanchez, l. 5, c. 4, n. 62 et 63.

De renovatione votorum, quidquid alii du-

bitent, certum est apud nos eam pro prima nuncupatione valere, si haec ob defectum, qui iam cessavit, irrita evaserit. (Congr. VIII, d. 22; Congr. XII, d. 13.)

19. De obligatione tendendi ad perfectionem. (N. 142 et sq.)

Statuta in aa. Theologiae moralis obligatione, qua per sese adstringitur religiosus tendendi ad perfectionem, solum hic restat perpendenda specialis quae in Nostris oritur obligatio, sive ex sacerdotio sive ex virtutis gradu, quem in iam formatis Bullae et Constitutiones nostrae requirunt. Quoad sacerdotium: «Interior, ut docet S. Thomas, perfectio requiritur ut quis digne actus sacri ordinis exerceat» (2. 2 q. 184, a. 6). Quod quemadmodum Societas suis applicet, dicitur postea, ubi de sacra Nostrorum Ordinatione.

Sed audi, quid ante vota ultima, nec solum in Professis sed etiam in Coadiutoribus sive spiritualibus sive temporalibus (Ordin. XVIII, P. 2, n. 11) ex Instituto Societatis requiratur: «tanquam certum ducatur, inquit, eos viros spirituales futuros, et qui sic in via Christi D. N. profecerint, ut per eam currere possint». (Const. p. V, c. 2, n. 4; p. VI, c. 3, n. 1; cf. etiam Constitutiones Iulii III *Exposcit* et Gregorii XV *Ecclesiae.)*

Quis autem tanta virtutis praestantia fru-

etur? Qui decreto sexto Congr. XI satisfaciat; quod, quia ad mensam publice legitur, illud non transcribimus.

Quibus ita constitutis, sic arguo: ex votis biennii gradum accipiendi gravis oritur obligatio, gradum inquam, formatorum; ergo etiam sese disponendi ad eumdem, atque in eo vivendi qualiter Institutum requirit. Certe Castropalao (tr. 16, disp. 4, punct. 20) non solum qui gravibus delictis quaerit dimitti, sed etiam, ait, culpam mortalem committit, qui mediocrem diligentiam non adhibet in vitandis culpis, ex quibus praesumit se a Societate eiiciendum». Quid autem, si quis externe dignus appareat, intus laborans gravi vitio, v. gr. contra castitatem, contra fidem? Tunc confessarius, quisquis sit, adigere eum debet, postquam curatio frustra adhibita est, ut sese Superiori ita manifestet, ut dimitti e Societate possit; quod si ille renuit praestare, inabsolutus relinquatur, praesertim si de sacra ordinatione recipienda ageretur aut de ultimis votis. (Cf. n. 21 et 53.)

Prae oculis habenda nobis est in hac materia epistola P. Claudii inter selectas ad Superiores, de qua ita P. N. Beckx in sua de custodia Castitatis (12 Martii 1861): «Postremo, ait n. 11, curandum est ut, non solum Superiores, sed Confessarii quoque Nostrorum tam ordinarii quam extraordinarii, quae in epistola

R. P. Claudii, anno 1596 data, de iis, qui in Societate ficte procedunt, continentur, probe cognita habeant, atque in directione Nostrorum fideliter sequantur.»

20. De Regularum obligatione. (N. 145.) Post dicta sub nn. 5, 18 et 19 vix aliquid videtur addendum Theologiae moralis auctori, nisi quod distinctius proponere praestat aliquid ex motivis, quibus Regulas observare tenemur: nempe qui vota, etiam biennii, nuncupat, se obligat ad Societatem per sui traditionem, nedum ad Deum per vota, quod sub n. 18 cum Sanchez, Suarez etc. stabilitum est. Unde sicut Societas, vota acceptans, se obligat ut retineat voventem in suo corpore, illique prospiciat secundum Constitutiones et Institutum; ita vovens, ut vitam in Societate perpetuo degat etiam iuxta Institutum: sic autem non vivit qui, quamvis vota aliquo modo observet, disciplinam religiosam ac proin Regulas ita notabiliter negligit, ut aliis sit scandalo, cum gravi communitatis damno, causam praebens ut passim reprehendatur, puniatur, aut forte etiam eiiciatur.

Hic ad illos pertinet, quos in n. praecedenti audivimus ex Castropalau versari in mortali culpa; sed etiam illi, qui ad tantam malitiam non attingant, desides tamen sunt in suo munere, v. g. docendi, Confessiones audiendi, aut

in aliis. Superiori graves, consociis molesti, proximis externis vix utiles; possunt ne immunes putari a contractu cum Societate male servato? imo per Societatem nostram cum Dei Ecclesia et cum benefactoribus nostris? Atqui adimplerio huius contractus a Deo etiam exigitur ut pars vocationis nostrae, cuius non raro amissione puniuntur, qui tepide in Societate vitam degunt. Societas quidem, ut mater amantissima, partes suas implet, suis diligentissime prospiciens, quod ad corpus, in bona et in infirma valetudine, in prosperis simul et adversis, in iuventute et in senio; quoad animam, sollicitudine continua per Exercitia annua, adhortationes, directionem, sacramenta et alia innumera; filios educans in litteris, doctrina, officiis... Ut tantis curis respondeamus, nec ingrati iudicemur, magna utique ex Nostris requiritur assiduitas et strenuitas in disciplinae religiosae observantia, in virtutum ad Regulas exercitio, in labore pro animarum salute ad mentem instituti.

Unde, etsi dicere licet cum S. Thoma, S. Lig. et aliis, religiosum graviter non peccare, etsi nolit observare nisi quae sub gravi obligant; itemque singulis Regulae, qua sub culpa non teneamur, transgressionibus non peccari, imo neque harum cumulo; verum haec *speculative* vera sunt, non *practice,* nempe vera, si spectemus unice *vim Regulae* aut Or-

dinationis, praescindendo ab aliis, quorum aliqua semper de facto nos adiuncta circumstant, quaeque iudicium saepenumero de tali homine plane mutant. In primo asserto, quia fieri moraliter nequit vota ab illo observari, qui media omittit, quamvis horum singula sub culpa non obligent: in secundo asserto, quia, ut in n. 5 dictum est, vix aliquando Regulas deliberate religiosus transgreditur, quin aliqua culpa peccet. Paucis, qui Regulas habitualiter non curat, is sive ob domesticorum scandalum, sive ob infidelitatem in contractu cum Religione sua servando, sive ob periculum perdendae vocationis, sive ob damnum in proximos, quorum saluti non studet, sive tandem ob temporis et talenti seu vocationis iacturam, quae vocatio non in eo tendit, ut mere servet vota, sed ut verus Societatis Iesu filius evadat, ea praeditus perfectione, quam vidimus in Instituto ante vota ultima acquisitam requiri; qui, inquam, illa Regularum absoluta incuria laboraret, talique animi dispositione, ut de illis vix cogitet; is revera aut in tepiditate viveret, quae Deum ad vomitum provocat, aut etiam in habituali mortali culpa, pro maiori vel minori gradu, duratione et prava talis negligentiae efficacia. (Cfr. Lehmkuhl vol. 1 nn. 516-517.)

21. De vocatione religiosa. (N. 150.)

Ex dictis patet plus in Nostris a Societate,

idque iure merito, requiri, quam simpliciter status religiosus exigere videtur. Dignoscenda itaque primo est in candidato vocatio ad religionem, deinde vocatio ad Societatem. En in re tanti momenti doctrina P. Suarez, quam quisque per Regulas S. P. N. Ignatii ad electionem facile in praxim deducet.

Doctor quidem Eximius agit de ingressu in religionem per undecim prima capita libri quinti tr. 7 de Virtute religionis; de vocatione autem praecipue in capite 8; ubi sequentia habet:

1.° Desiderium aliquod sectandi perfectionem, ad quam quidem omnes Christus invitat, non sufficit ut licite quis religionem ingrediatur, seu novitiatum, nedum ut *statum* perfectionis suscipiat, ad hunc enim non omnes a Christo vocantur; sed «per se, ait Suarez, requiritur etiam plena scientia, deliberatio seria et consultatio in particulari talis status», an, nempe, talis status et religio *sibi* expediat.

2.° Requiritur praeterea «intentio recta statui proportionata, id est, Deo irreprehensibiliter militandi, et apostolicam vitam imitandi». Unde, ut recte notat Ball.-Palm., qui ingreditur religionem, nolens profiteri vitam religiosam ac in illa perpetuo manere, utique peccaret. (Vol. 4, tr. 9, n. 219; Cfr. Lehmk. 1.° n. 506 seq.)

Caeterum in Instituto nostro (in Exam. et

Constit.) videndum nobis est, quid in candidatis religionis nostrae, approbante Christi Vicario, exigatur, quidve Nostris iniungatur, qui munere funguntur admittendi (1). (Recole dicta n. 17.)

Iam, ut aliquid speciatim notem, idque magni momenti, quamvis vitium carnis non obstet ingressui in religionem (Genicot. II, n. 72), obstat tamen in Societatem. Nempe cum inter secundaria impedimenta primum afferatur: Si non videatur (candidatus) posse domare passiones vel habitus malos, sic illud declarat, P. N. Beckx (epist. de custodia castitatis n. 1), attentis vitae nostrae ratione et ministeriis, itemque communi Maiorum usu et experientia: «1.° Vocationi, ait, nostrae idonei non sunt putandi, qui ad carnis vitia ipsa natura et indole procliviores sunt. 2.° Ii, qui his vitiis aliquando implicati erant, etsi speretur solida emendatio, non sunt admittendi nisi propositum vitae melioris re et opere iam probaverint, ac notabili temporis spatio extra Societatem ab omni labe purgati vixerint. 3.° Qui autem, iam sacerdotes, huic vitio inhaerebant, etiamsi ab aliquo tempore relapsi non sint, et emendati videri possint, nullo modo admitti debent.» Haec autem, pergit n. 2, et su-

(1) Liber «Practica quaedam ad formulam scribendi» (Florentiae 1884) utilis est ad praxim; supponit autem doctrinam ab examinatore haustam ex Examine, Constit. etc.

perioribus dicuntur et examinatoribus, ac praecipue confessariis «ut aspirantes huiusmodi suaviter inducant ad sibi alio in vitae genere consulendum». Hactenus ex epistola P. N., in qua illud *procliviores,* i. e. plus solito seu specialiter proclives, non diiudicetur mere ex tentationibus, quae in castissimo homine accidunt, quandoque gravissimae et diuturnae, sed praecipue ex modo contra illas agendi: quippe qui illas, etiam inter saeculi pericula, perpetuo, aut fere, vicit, non habendus est proclivis vitio, nedum proclivior. Quod autem dicit *suaviter inducat,* intellige quoad modum, quod enim attinet ad *finem,* i. e., ne, qui ineptus est, ingrediatur, *fortiter* agendum, ita ut, qui impedimento laborat, aut ipse abeat, aut, si negotium dubium est, illud sincere extra confessionem Superiori aperiat, nec aliter absolvatur.

22. De obligationibus votorum.

Ante biennium possunt Novitii nostri, de facultate Provincialis, emittere vota *devotionis;* sed de his adeatur P. Ramière, n. 64 et seq.; Oswald, n. 93 et seq., ubi etiam plura invenies de votis in articulo mortis, ad quae sufficit venia Rectoris. Omittimus etiam explicare, sive votum biennii quartum, quod in Monitis Generalibus sub n. 16 declaratur; sive quartum solemne et simplicia quinque Professorum, de quibus accurate tractant citati au-

ctores, locis in respectivo indice designatis ad vocem *vota*. Itaque aliqua solum restant notanda de tribus substantialibus Religionis votis. Nam, salva eorum essentia, aliqua in hoc vel illo Ordine censentur esse contra vota paupertatis et obedientiae, quae in aliis tum ex Regula, tum ex legitima consuetudine constat non esse. Certe nos vota facimus *secundum Societatis Iesu Constitutiones*.

23. De voto Paupertatis. (N. 153, sq.)

Ut paupertas, qualis in Societate servanda est, plene dignoscatur, adeundus est index aut Epitome Instituti, itemque aut Oswald aut Ramière, qui non solum ex ipso Instituto, sed ex Resp. Generalium simul et Nostrorum doctrina ad plura particularia descendunt. Nobis autem, pro indole operis, generaliora et scitu necessariora attulisse sufficiet, quod in sequentibus numeris tractatur, ex dictis fontibus deductum et ex dicendis. (Cfr. Const. P. 6, c. 2.)

24. De paupertate in individuis (1).

Nam, ut n.° 16 diximus, in Societate non omnia vota *simplicia* eosdem effectus sortiuntur; idque primum explicandum venit. α) Qui

(1) Revocetur in memoriam Proloquium: quodque loca Instituti, unde singula constant, ad voces Paupertas, Professus, Coadiutor, vota Biennii etc. in *Indice* ipsius Instituti invenies.

vota *ultima* Coadiutoris nuncupat, aequiparatur, quoad paupertatem, solemniter professis. Oswald. n. 437; Suarez. De Relig. Soc. l. 4, c. 4, n. 1.» Quare non est capax neque indirecti dominii, neque directi, aut habendi quid proprii: neque hereditariae successionis, sive ex testamento, sive ab intestato: neque retinendi aut accipiendi ecclesiastica beneficia: nec ius habet in redditibus collegiorum, nisi in Collegio degat, prout explicatur numero sequenti: licet tamen illi, dependenter a Superiore, rebus uti, et aliquos contractus inire. 3 Per vota *biennii* non amittitur dominium directum seu radicale, prout infra explicatur, unde illis ligatus *valide* de suis disponeret, *sacrilege* tamen, si agit independenter a voluntate Superioris. Essentia enim paupertatis religiosae, ut notat Lehmkuhl I. n. 521, in eo stat, ut vi voti prohibeatur quilibet actus dominii sive directi, sive indirecti, independenter a voluntate Superioris, circa rem propriam aut alienam, pretio materiali aestimabilem.

Imo per vota biennii contrahitur obligatio non abdicandi bona sine legitima licentia, itemque abdicandi, quando Superior velit, absolute et perpetuo in pia opera. Sed de his plura in Instituto praescribuntur ad vocem *Applicatio.* (Cfr. Ramièren. 99; Suarez l. cit. cc. 5 et 6.) Quae autem diximus, a fortiori intellige de *testamento,* quod, etiam cum venia, «omnino est

praeter morem Societatis». Sanchez l. 7, c. 8, n. 23. Quid igitur si talis religiosus occulte testamentum faciat? – Probabilius, ut probant Sanchez, Suarez... validum erit; graviter tamen illicitum, nisi expresse res tota voluntati Superioris subiiciatur, qui praeterea rescindendi testamentum, vel quamcumque aliam donationem, ius habet, saltem ut notavit Lugo (De Iust. d. 3, n. 79), quandiu a religioso revocari actus potest. Caeterum licentia, nisi periculum esset in mora, habenda esset a Generali, ut probat Sanchez l. c.

Ubi a P. Ministro, ex approbata consuetudine, ponuntur in loco communi atramentum, charta..., censetur ita dari licentiam ad horum usum. Itemque mos est in Societate (teste recenter P. N. Anderledy in epist. de tribus Sanctis) ut facultas generalis ad res parvas seu minimas detur eam petenti ad mensem vel ad annum.

25. De paupertate in communitatibus.

Sicut vota ultima et vota biennii diversas, ut vidimus, obligationes et effectus in individuis pariunt, ita diversa quoque paupertate ligantur communitates atque earum Superiores aut administratores, prout illae ad Professos et alios formatos, aut ad nondum formatos destinantur.

Certe, quamvis a Concilio Tridentino (sess.

25, De Reg. c. 3) concessum fuit communitatibus religiosis, praeter domos fratrum S. Francisci, Capuccinorum, et Minorum de Observantia, ut bona immobilia possiderent; nihilominus huic iuri, ob amorem paupertatis, Societas Iesu *professa* renuntiavit. Quare:

A) Domus professa nec bona immobilia nec stabiles redditus, ne pro fabrica quidem aut Sacristia, habere potest, nec animalia ad proventum nutrire; solumque licet necessaria aut valde convenientia ad usum et habitationem habere, v. gr. praedium rusticum, annuos tamen redditus non producens; eleemosynas accipere perpetuas, modo nullum ad eas habeatur ius civile. Caeterum, quamdiu non possidet quae sibi licent, fas est adhibere media, quibus illa sibi comparet. (Indicantur ap. Ramière, n. 118, ex Ordin. pro tempor. P. N Ludovici Martin) (1). In dubiis circa paupertatem domus professae, in strictiorem partem inclinandum, ob reverentiam saltem primi voti inter simplicia professorum: ita ex Resp. Gen. ap. Ramière, n. 119. Si quid stabile domui professae datur, vendi debet, quin opus sit venia Superiorum: licet autem intra decem annos opportunitatem expectare. (Lugo, De Iust. D. 3, n. 99.) Si vero pretium non est do-

(1) Ex Ordinat. P. Martin, quae de Paupertate dicimus, fere constant. Cfr. D. 15-20 Congreg. XXIV.

mui necessarium, et superet 300 ducata, consulatur P. Generalis. (R. Prov. 76.)

B) Collegia nostra, sive nostrorum sint sive externorum, et Domus Probationis, habere possunt, imo et debent, bona stabilia, reditus stabiles, et alia iura temporalia. Dotatio quidem suppleri potest, v. gr. convictorum pensionibus, et externorum scholarium minervalibus; verum omni ope nitendum est, ait P. Martin (Ordin. cit. n. 15), ut pristina forma restituatur. Praeterea, cum collectio collegiorum capax sit bonorum stabilium, summopere commendatur, ut, probante Generali, constituatur *arca Seminarii,* ex qua provideatur, si fundatio desit, Seminario Nostrorum et Domui Probationis. Quibus positis, si aut professus, aut coadiutor formatus in Collegio degit, quod licet Provinciali in bonum Collegii decernere, ex bonis Collegii, ut reliqui, sustentabitur. Notentur praeterea quae sequuntur: 1.° Administratio bonorum Societatis non formatae ad Generalem spectat, quam mediis Superioribus exercet. (Ramière, n. 111: index Instituti ad vocem *Administratio.*) 2.° Principium est in Societate bona temporalia ita esse propria singulis Provinciis, Missionibus, Collegiis, Domibus, etc., ut ne Generali quidem fas sit ea, pro arbitratu suo, de Provincia in Provinciam, vel de Domo in Domum transferre; unde iustitia commutativa inter

eas laedi potest. (Ramière, n. 127.) Tamen inter alia, quae videbis apud Ramière, n. 240, conceditur Provinciali, ut difficilibus temporibus Collegium opulentum alterius inopiam sublevet. 3.° Si quaeris an possit communitas accipere bona, quae eius membro formato obveniant, respondet P. Anderledy, litteris 29 Ian. 1876 datis, quas ap. Oswald, n. 436 reperies: «si cui obveniret haereditas, quae iam ipsius est, quam tamen accipere non potest, nisi post ultima vota; tunc Collegium vel arca Seminarii (quae repraesentat plura Collegia) recipiet hanc haereditatem iure suo, si huic Collegio vel arcae Seminarii applicata fuerat. Si quis etiam sua bona Societati resignavit, haec bona vero ei non obvenient nisi ex haereditate, iure civili, post sua vota ultima; tunc ex tali haereditate nihil potest obvenire Societati».- Ita memorata epistola, ubi additur: «Si parentes adhuc superstites sunt quando fit abdicatio, suaderem hunc modum: a) Abdicans, dirigente Superiore, contrahat formaliter cum parentibus, ut talis bonorum pars sibi, et per se Societati, vi huius contractus, non vero ex iure haereditario, obveniat; b) quodsi talis contractus factus non est, Societas vi haereditatis nihil acceptare potest, sed tantum vi eleemosynae et spontaneae oblationis; c) etiam post vota ultima, potest religiosus Societatis, sicuti donationes, sic etiam acceptare legata

in bonum Societatis.» Hactenus ex P. Anderledy, qui responsum desumpsit ex prius a variis Generalibus datis.

Adde, quod ex Ordin. Gener. (c. 1, par. 10, n. 2) declarare debemus parentibus nostris, Societatem nullum ius habere in haereditatem membrorum suorum.

Caeterum praedicta, de paupertate Communitatis, professae et non professae, doctrina applicata recenter est a P. Martin, in Ordinationibus pro tempore, tum Provinciae, tum Residentiis pro varia earum classe, itemque Missionibus, Seminariis, Scholis Apostolicis et Domibus Scriptorum, prout videre licet apud Ramière, loc. cit. usque ad numerum 135, aut in ipsa Ordinat. P. N. Martin.

26. De dominio radicali. (N. 155, quaer. 3.°)

Confer Suarez, De Rel. Soc. l. 4, c. 4: Lugo, De Iust. D. 3, s. 4, ex quibus atque ex Instituto nostro sequentia teneas: 1.° Quae ante biennii vota quis possidet, licite retinet, si Superior non vetat; excipe quae domi seu in praesenti suae dispositioni subsunt: haec enim habere non potest, nisi *conscio et approbante* Superiore, idque, ut notat Suarez, ex Declarationibus Constitutionum; quae sane Declaratio, cum sit circa materiam voti, graviter obligat. 2.° Fructus bonorum suorum, itemque

bona ex legis dispositione aut ex credito obvenientia acquirit licite sine venia; sed in votum peccat, si ea, sine venia Provincialis, applicat ad capitale aut ad cumulandam pecuniam: imo, tenetur impendere in causas pias Provincialis iudicio. (Congr. XI, Decr. 15.) 3.° Ad alia, quorum acquisitio acceptationem requirit, eget licentia Superioris, ne votum frangat sibi acceptans: quam acceptationem, v. gr. haereditatis libere relictae, donationis, legati etc., posset Superior rescindere. Quae, si Superior consentit, solent patrimonio adiungi; sin autem, Religioni acquiruntur. (Lugo, nn. 89, 93.) Adde dicta n. 24.

27. De pecunia accepta in pia opera. (N. 157, quaer. 7.°)

En quomodo casus videtur proponendus et solvendus. Si religiosus pecuniam acceptet, aut rem aequivalentem, ut in usus proprios seu ad proprium arbitrium impendat, independenter a Superiore, certum est peccare contra votum et ad restitutionem obligari. (S. Lig. H. A. Tr. XIII, n. 7.) Imo, in Societate declaratum est facultatem generalem, si forte a Superiore daretur, fore irritam. Ita ex d. 41, Congreg. 12. (Cfr. Oswald nn. 409 et 411; Ramière n. 75.) Nec dicas in dicto usu illum esse merum voluntatis alienae executorem, illius sc., qui in id pecuniam dedit; namque talis

aliquorum evasio reiicienda est ex d. 35, Cong. 16. Illud itaque distinctione eget, si non sibi acceptet, sed ut domini extranei nomine in externorum commodum utatur: in tali casu alii, ut Gury, exigunt designari a domino non solum pia opera, sed etiam et ipsos pauperes; alii, ut Sanchez, religioso concedunt electionem pauperum inter externos (Dec. l. 7, c. 30, n. 4), imo et operum, non absolute, sed si, nihil sibi accipiens, administrat bona nomine alieno in domini utilitatem; quod quidem admitti potest cum Suarez. (De Relig. tr. 7, l. 8, c. 15, nn. 15 et 16), Lugo (De Iust. d. 3, nn. 54 et 155) et La Croix (l. 4, n. 118.)

Quamquam advertas velim citatos Doctores mortuos esse ante annum 1730, seu ante Cong. 16; unde, si eorum opinio decreto 35 dictae Congr. obesset, a Nostris admitti non posset; puto tamen, prout illam proposuimus, non obesse.

Caeterum omnes fatentur etiam illa, quae diximus non esse contra votum, esse, si fiant sine venia, contra paupertatis perfectionem, et apud nos contra Regulam 22 Sacerdotum. Cfr. n. 31, ubi de *Deposito*.

28. De materia gravi contra votum. (N. 159, 160.)

In Societate «quantitas, quae, furto sublata, satis esset ad peccatum mortale contra septi-

mum praeceptum, sufficit ut peccasse adversus votum paupertatis iudicetur, si quis e Nostris rem, ut propriam, vel usurpet vel alienet absque Superioris facultate». Ita decimum ex Monitis generalibus, auctoritate Congregationis VI collectis, in quo declaratur quantitas ad peccatum *mortale* contra votum, prout constat, tum ex ipso fine dandi hoc monitum, tum ex Indice generali Instituti, ad vocem *Paupertas,* ubi hoc monitum ita citatur: «Quaenam materia faciat grave peccatum», quo sensu etiam affertur apud Oswald, n. 407, et Ramière, n. 78. Iam vero, per voces *usurpet* vel *alienet,* significantur quilibet actus proprietarii: *usurpo* enim valet, aut rem accipio, aut re utor; *alienat* autem, non solum qui vendit, sed qui dat, consumit, destruit quod habet. Praeterea, si voces illae non se extenderent ad quamlibet voti transgressionem, norma in monito proposita esset manca. Quae cum ita sint, apud Nostros, qui agit contra votum paupertatis in materia, quae in furto esset gravis, peccat mortaliter contra votum, idque sive simul peccet contra iustitiam, sive non: quod similiter apud alios Religiosos communiter admitti testatur Lugo (De Iust. D. 3, n. 170); et prius Sanchez l. 7, c. 20, n. 3), qui praeterea vocat hanc doctrinam *verissimam.*

Verum restat non parva difficultas: an nimirum materia, in furto gravis, assignetur ea-

dem pro religioso ac pro saeculari; dein, quoniam gravitas in furto quandoque absolute, quandoque relative, idque varie pro laesi conditione et furti ratione consideratur: quaeritur qualis harum gravitas pro norma gravis sacrilegii, id est, pro gravi voti violatione, sit assignanda. Consideremus igitur seorsim, primo materiam gravem in furto, quod Religiosus patraret; secundo, materiam gravem in sacrilegio contra votum paupertatis: non enim vovit religiosus iustitiam, sed paupertatem: ita, si segetes alienas tradat conventui aut comburit, peccat contra 7.^m Praeceptum, non autem contra votum. (Sanchez, l. 7, c. 20, n. 10; c. 19, n. 55.)

Ergo, ratione *iniustitiae,* pariter peccat religiosus ac saecularis, teneturque per se ad restitutionem, juxta doctrinam de furto, damnificatione, restitutione et cooperatione in tractatu de Iustitia. Unica in praesenti quaestio occurrit, si, scilicet, proprium monasterium laedatur: sunt enim qui in hoc casu aliter iudicant de furto religiosi ac de extranei. Certum itaque imprimis est, si communitas laeditur, sive monasterium sit sive alia quaevis, maiorem ad furtum grave quantitatem requiri, quam si laedatur aliquis unus particularis eiusdem conditionis; idque non minus pro fure extraneo, ac pro membro communitatis. Cf. S. Lig. l. 3. n. 728. Ex professo id explicatur a

P. Genicot, vol. I, n. 509, ubi requirit quantitatem absolute gravem, nisi communitas sit pauper.

Quo posito, etsi non defuerint qui, respectu proprii conventus, aequiparaverint religiosum filio-familias pro furti gravitate: attamen id omnino reiicitur a Sanchez (l. c.) et a Lugone (n. 172, a S. Ligorio (H. Ap. tr. 13. n. 10), meritoque iam talis opinio posthabetur: Lehmkuhl (n. 529) neque eius meminit; Sabetti (n. 614, quaer. 8) censet *nullo modo* admittendam: Genicot (n. 98), postquam eam refutat, ait: «Idem adhuc magis patet in ordinibus, ubi, ita fit in Societate Iesu, universe declaratur» nempe quod in Monito dicitur; nec aliter Baller.-Palm. (tr. 9 n. 123, 124), imo P. Sanchez, assumpta, ut supra, norma sacrilegii, non a furto filiorum, sed saecularium in genere, ait: «Et P. N. Gen. Claudius Aquaviva iussit, re cum peritissimo consulta, ita observandum in Societate Iesu»: hinc extractum *Monitum*.

Recensenda itaque est inter opiniones antiquatas, ac pro Nostris certe reiicienda.

Quare, ut ad praxim veniamus, quoniam hodie, ut advertit Gury-Ferreres (De Simonia n. 291), nulla monasteria vere opulenta reperies, videlicet, quae ex redditibus bonorum abundanter secureque sustententur quoad personas, cultum, opera: detrimentum grave, seu materia furti gravis, constabit, non ex quanti-

tate absoluta, sed ex relativa, quae generatim exurget ex dimidio quantitatis absolutae; scilicet nostro tempore 10 circiter aut 15 libellis argenteis; 10 assignantur a Bouix (II n. 534) pro monasterio nec opulento, nec egeno. Attende etiam ad doctrinam de furtulis, quae pariter religiosis applicanda est.

29. Scholium.

Illud ergo ex dictis constat, opus tibi esse, ut iudices de furto religiosi, sit, necne, grave, prae oculis habere quantitatem ad mortale cuiuslibet furtum requisitam. Hanc certe apud AA. reperies propriae aetatis, propriae nationis; pendet enim etiam a locorum et temporum circumstantiis. Nec adhuc, quando certum monetarum numerum assignatum videas, illum scrupulose sequaris; tum quia, quem alius divitem, alius vocat mediocriter divitem, quos hic valde divites, ille opulentos; tum quia, si ad veterum doctrinas attendunt, non eumdem, v. gr., aureo, regali etc. valorem dant, sed quisque suum. Cf. S. Lig. O. M. De Praeceptis n. 527; H. Ap. n. 22.

An autem religiosus, qui mortaliter peccet contra septimum Decalogi praeceptum actu *proprietario,* dicendus semper sit peccare mortaliter contra votum seu mortali sacrilegio; id modo perpendetur, explicato pro Nostris sensu Moniti supra allati. Adverte etiam votum, ut

supra innuimus, violari, non solum furto, sed quovis actu proprietatis, quamvis illo non violetur iustitia; v. g., ait Lugo (n. 171), «si quis mihi aliquid daret ea lege, ne monasterio acquiratur».

30. Transeamus itaque ad gravem *sacrilegii* materiam, id est, quomodo illa furti gravis materia, quam ita variari vidimus, applicanda sit, ut grave in Societate sacrilegium dignoscamus. — Principio autem, non valet pro Nostris opinio Gersonis, S. Antonini aliorumque, qui (apud Sanchez, l. 7, c. 20, n. 1) negant dari parvitatem materiae in voti violatione: nec eorum, qui (teste Mar. Aguilar, pag. 344) minorem assignant quantitatem, quam pro furto gravi: idque ex *Monito* supra allato satis patet.

Verum quaeritur adhuc, an materia gravis in furto, quae datur pro materia mortalis sacrilegii, intelligatur de *relative* gravi. Huic quaestioni, post P. Sanchez (l. 7, c. 20), respondet Lugo (n. 171): «intelligi, non ex aliis circumstantiis, sed ex ipsa gravitate materiae: nam certum est, qui v. gr. acum furatur sartori cum magno eius detrimento, peccare graviter contra iustitiam, leviter contra votum». Ergo gravitas materiae ratione sacrilegii non accipienda semper *relative*. Eritne igitur *absolute* accipienda? Id aliqui deducunt ex verbis, *praecisis personae laesae circumstantiis,* quas San-

chez habet (1); sed Sanchez, cumque eo Lugo, non ita rem intelligunt. Sicut enim negat ad grave sacrilegium sufficere materiam in se minimam, v. g., acum, quam mortali forte peccato iniustitiae surriperes sartori; ita vicissim negat requiri *absolute* gravem; quippe, ait, malitia furti consurgit ex damno illato proximis, ac proinde quandoque maior, quandoque minor quantitas constituit illud mortale; at peccatum proprietatis solam voti transgressionem respicit, qua, invito Superiore, aliquid sibi religiosus appropriat; et ideo nec augetur nec minuitur quantitas haec, petita ad mortale, ex magno aut parvo damno illato...» sicque concludit: «Quamobrem dicendum est exigi et sufficere eam quantitatem, quae *communiter*, seclusis iis personae circumstantiis, satis esset ad mortale, quam diximus in Hispania esse quatuor argenteorum»: hactenus P. Sanchez, n. 5, qui tunc vivus in Societatis scriptoribus eminebat, cum in Congr. VI, d. 38 praescripta est annua Monitorum Generalium lectio ad mensam. Et re quidem vera, quoniam in Monito statuitur simpliciter materia sacrilegii gravis, quae in furto est gravis; de qua, rogo, sensu obvio, intelligendum est, nisi de illa, quae *communiter* est gravis? i. e. de illa, quae reputatur gravis erga eum, cuius fortuna ignoratur,

(1) Ballerini-Palmieri, tr. IX, n. 121, quem sequitur P. Genicot, vol. 2, n. 98.

qui neque pauper supponitur nec valde dives: pro quo casu assignatur a nostrae aetatis AA. quantitas 7 aut 10 libellarum (pesetarum, francorum): ita apud Gury-Ferreres, vol. 2, n. 607; Genicot, vol. 1, n. 507, 4.°; similiter nempe ac citati supra AA., Sanchez, Lugo, S. Lig. aliique communiter aiunt requiri et sufficere, pro gravi culpa in votum, quantitatis circiter dimidium, quam pro quantitate absolute gravi in furto; eamdem, quam fere designant, praecisis personae furtum passae circumstantiis, pro gravi furto.

Unde nihil mirum, apud antiquos monachos, solemni S. Gregorii Papae iudicio, intellectum fuisse graviter contra votum pecasse, qui sine licentia abbatis a fratre suo carnali pretium tunicae monachalis acceperit. Refert factum P. Alfonsus Rodriguez (De Paup. c. 11 et 13), illud mutuans ex Dialogis S. Gregorii Magni et ex Surio.

N. B. 1.) Ast illud praeterea notandum venit, quod communiter auctores tum nostri tum externi (Cfr. S. Lig. De praecep. partic. n. 24), quando violatur paupertatis votum actu *imperfecte* proprietario, ut si quid vestium vel supellectilis, tibi ad usum concessum, des aliis eiusdem domus religiosis, vel ab extraneis tibi detur ut aliis des; tunc maiorem quantitatem exigunt ad sacrilegium mortale.

Ratio a Lugone (loc. cit. n. 176) indicatur,

et magis a P. Lehmkuhl explicatur (I, n. 529), nempe, actio in huiusmodi casibus est minus proprietaria, ac inde minus sacrilega, potius quoad modum quam quoad substantiam, idque, non praecise quia damnum monasterio non sequitur, sed quia minus independenter de re disponis, dominio indirecto, non directo. Itaque voces *usurpet* et *alienet,* quas habet Monitum, cum variis actuum speciebus quadrent, aliam pro alia specie normam praebent. Scilicet, si *usurpet* idem sonet ac arripere, accipere ut proprium (hispane in libro Regularum versum est *tomar); alienet* autem idem ac dare extraneis, vendere, destruere, ita ut res plane domino perdatur; tunc gravitas sacrilegii desumetur in his actibus ex quantitate *communiter* gravi in furto, prout supra explicatum est. Verum si vox *usurpet* accipiatur latiori quodam sensu, itemque vox *alienet,* i. e., *usurpet* accipiatur pro *usu* rei communis temporario sine venia, *alienet* pro *commodatione* rerum ad tuum usum concessarum, vel pro eiusmodi *datione,* facta domus tuae religioso; in *tali usu et datione,* si de pecunia non agitur, maior quantitas requiritur; scilicet, iuxta graves aa., duplum circiter *per se,* quam in furto absolute gravi (S. Lig. ib. n. 24); *in commodatione* autem, quamvis rei pretiosae, ad breve tempus, peccatum, sive tibi commodetur (Sanchez, c. 20, n. 6), sive tu commodes (id., c. 19, n. 65),

etiam extraneis, non est mortale, modo tutus sis de restitutione, nec obstet specialis ratio. Id etiam admittit Suarez; disuadet autem ut Nostri faciant, nisi res sit *minima et vulgaris* (De Relig. Soc., l. 4, n. 404); est enim veniale et contra Regulas.

Cf. P. Oswald (n. 402) et P. Ramière (n. 78).

Igitur actus, quales in hac nota attulimus, videntur excepti a norma in Monito proposita, saltem si voces, *usurpet* et *alienet*, stricto sensu accipiantur (1).

2) Quoad sacrilegium peccata levia non coalescunt *per se*, nisi, ut ait Lugo (n. 182), aut per ultimam usurpationem compleatur detrimentum grave, quod conventui inferatur, aut retineatur quantitas conventui sub gravi restituenda.

3) Si des extraneis, v. gr., librum, cuius valor sit octo libellarum, non erit grave sacrilegium, ex dictis, etsi quandoque pecces graviter vel contra caritatem, si magna in aliis rationabiliter oritur offensio; vel contra iusti-

(1) Digna est quae de his legatur quaestio XXVI introductionis ad opus P. Suarez *De Religione Soc. Iesu* a P. Paulo Guéau de Reverseaux conscriptae, ubi docte agitur de vario monetae valore: ibidem pro quantitate sufficiente ad sacrilegium grave praedictus auctor assignat, secluso peculiari Ordinis statuto, «quae sufficeret ad furtum per se grave hominis saecularis contra extraneos mediocriter divites». Idem nempe, quod supra in strictiori vocum sensu admisimus. Nec ab his disonat P. Vermeersch (t. 2, pag. 102), dum pro actu plene proprietario assignat materiam gravis sacrilegii in Societate «qua si privares sacerdotem honestum, hunc gravi afficeres iniuria».

tiam, si grave inde monasterio damnum fortasse crearetur. (Vid. Genicot ib. n. 93, 2.° N. B.)

31 De quibusdam casibus. (N. 161.)

De esculentis: «Prohibuit P. Mutius docere non esse contra votum esculenta vel poculenta sine facultate accipere.» (Ramière, n. 92.) Merito igitur Oswald, n. 402, enumerat inter peccata contra votum «comedere et bibere, non solum e rebus Monasterii, sed etiam apud amicum, sine licentia». Probat id La Croix (l. 4. n. 105) cum communi opinione contra Lugo, qui de hoc dubitat, loquens non de Nostris. Imo apud nos ad id non valent licentiae generales ad *parva* seu minima; nec facile ad id praesumitur licentia. Item, ut ait Suarez, Nostri nihil privatim possidere possunt ex his, quae ad sustentationem pertinent, quae sub cibo et potu includuntur...; nec sine urgente necessitate in hoc dispensatur (l. 4, c. 7, n. 389). Unde de Nostris non est agendum in hac materia, sicut de famulis, uti agunt aliqui de conventibus, ubi Superiores non ita inviti id vident; sed metiendum est peccatum, prout supra, de alia materia, v. gr. de vestibus statuimus. Itaque prandium tantummodo foris sumere sine venia, mortale non videtur contra votum paupertatis (Ramière, n. 342), neque communiter coalescunt peccata, modo nempe non reser-

ventur esculenta aut alienentur: sed vide n. 30, N. B. 2.°

De depositio. In Societate contra votum peccat habens sive apud se, sive apud alios pecuniam, cuius dominium spectet ad alium, et usus proprius atque arbitrarius ad se: imo, irrita esset licentia in id a Superiore data. (Ramière, n. 77: Oswald, n. 409, ubi afferuntur Congr. XII, decr. 38 et 41; XVI, decr. 35. Cf. dicta n. 27.) Insuper deposita quaevis, etiam sine arbitrario usu, vetantur, uti *paupertati nostrae* contraria, si habeantur sine venia et certis conditionibus. (Vid. indicem Inst. aut Epitomes ad vocem *Deposita,* praesertim decr. 26, Congr. XXII.) Unde apud nos caret probabilitate opinio, quae negat depositum esse contra votum. (La Croix, n. 143.) Caeterum accipere pecuniam in simplicem custodiam non est contractus depositi. (Villada, n. 94, D.; La Croix, n. 131; Sanchez, l. 7, c. 19, n. 50): est autem, ait Sanchez, contra Regulam et contra paupertatis perfectionem.

De peculio. Contra votum peccat habens peculium sine venia. An et quomodo a Superiore permitti possit, agitur plene apud Oswald, n. 467, et sequentibus. «Tollatur omnis occasio peculii», scribit P. Anderledy ad Superiores, 24 Maii 1885.

De licentia dandi. Quod includat pro religioso eiusdem domus licentia dandi facultatem

recipiendi, intelligendum est, nisi fraus intervenerit, qua v. gr. cures, ut accipiens a te det rem tali personae, pro qua tu cares licentia: Ita, consulto P. N. Generali, declarat P. Lugo, n. 165. Licentia dolo obtenta est irrita. (La Croix, l. 4, n. 107.)

Plurima restarent dicenda de paupertatis nostrae voto, sed pleraque audimus saepe lecta in triclinio, alia ad Superiores spectant, aut ad Procuratores, qui ea ex Instituto, maxime ex propriis regulis, discere tenentur. Praecedentium Decreta de Paupertate innovat Congreg. postrema, D. XI.

Habenda etiam prae oculis hic est tum Ordinatio de rerum temporalium administratione, tum Instructio de bonis temporalibus in Missionibus exteris, utraque a R. P. Martin lata. Ex Ordinatione habet Ramière capita praecipua, n. 125 etc; ex Instructione n. 399 seqq. Pauca nihilominus addemus.

De superfluis. Superflua, singularia et exquisitiora, illicite haberi aut concedi nemini dubium est. Videatur Instituti index ad vocem *superflua*. An vero licentia, si daretur, sit per se invalida, ac proinde, an habens superflua, etiam cum venia, sive explicita, sive implicita seu generali, peccet contra votum; quamvis communis sententia affirmat, utrinque tamen res probabiliter disputatur, apud Ramière, n. 81, plenius autem a P. Bucceroni

in casibus. I. n. 107 (edit. 4.ª), ubi apparet controversiam extendi ad alios usus turpes. Caeterum non est idem abundare ac superflua habere.

De stipendiis. Haec accipere *sine venia* pro ministeriis sacris, aut quovis alio officio Instituti nostri, aperte esset contra votum, si accipiantur pro se, aut etiam pro causis piis, nisi ipse donator usum certum designet. Congr. XVI, decr. 21. Si accipiantur *cum venia* constat esse contra Constitutionem, seclusa pontificia dispensatione: ast non constat utrum peccetur in votum. (Epitome, p. 4, n. 30: Ramière, n. 83. Villada, n. 94, G. H.) Quatenus Rom. Pont. dispensaverit, vide Indicem Instituti ad vocem *Ministeria*, aut P. Ramière, n. 87. Alĭa dicemus, n. 47.

De horologio. Ex litteris P. Beckx (5 Febr. 1860), cui usus horologii conceditur, illud asportare nequit, nisi ex licentia Superioris peculiari de causa, aut ex dispensatione Provincialis intuitu alicuius officii. (Ramière, 82.)

De dispersis. Qui vivunt in dispersione, contra votum peccant, si de pecuniis, quae ipsis undequaque proveniunt, praeter necessaria ad honestam sustentationem, disponant. Tenentur praeterea, singulis saltem annis, dati et accepti rationem Provinciali, aut cui ipse demandaverit, reddere, eidemque quod superest tradere. Cong. XXIII, decr. 42, 34.

32. De voto castitatis. (N. 165, seqq.)

De materia voti omne, si quod esset, dubium sublatum est in Const., p. 6, c. 1, § 1, unde Reg. Summ. 28. fuit desumpta. Imo ita semper et ubique intellectum est, teste Lehmkuhl, votum hoc (vol. 1, n. 531) (1); ita, uti certum, docent S. Lig. (n. 37), Genicot (n. 98), etc., castitas enim, de qua est votum, certe violatur actibus etiam internis, nec solum desiderio, sed delectatione morosa et gaudio circa materiam veneream. Violatio autem voti religiosi, quicquid de privati violatione disputetur, sacrilegium sine dubio est.

Votum simplex in Societate, sive biennii, sive formatorum, *dirimens* matrimonii impedimentum est (Greg. XIII, Ascendente Domino).

Hic autem, circa castitatis custodiam, occasio sese offerebat insinuandi saltem quae apud nos diligentissime ordinantur; pleraque tamen in Regulis ad manum habemus; alia reperies ubi de confessariorum obligationibus, itemque de clausura. Caeterum Reg. 34 ex Comm. a fortiori vetatur tangere externos etiam supra vestes; item iocus cum animalibus. Cfr. Ramière, n. 136.

33. De voto obedientiae. (N. 168, seqq.)

De materia voti. Res, quam Deo per votum

---

(1) Cf. 2.ª 2.ae, q. 151 et q. 152.

obedientiae offerimus, est, ait S. Thomas, voluntas propria, voluntas nempe obediendi, seu voluntaria obedientia (2, 2, q. 186, a. 7); quemadmodum *voluntaria* paupertas offertur per votum paupertatis, per castitatis autem munditia carnis et spiritus. (Ib., a. 3 et a. 4.) Itaque materiam voti completam constituit voluntaria rei praeceptae executio. (Suar., t. 10, l. 4, c. 14, nn. 3 et 18); non mera executio, quae nempe praestetur omnino coacte, quia «necessitas coactionis facit involuntarium, et ideo excludit rationem laudis et meriti». (S. Th., l. c., a. 5 ad 5.um.)

Verum cuius rei praeceptae? Varia hic occurrunt quaesita de extensione materiae in voto nostro. 1.° An ex voto praecipi valeant omnia non aperte illicita? Ita opinatus est Lessius (De Iust. et Iure, l. 2, c. 41, n. 75), eo quod in Const. (P. 3, c. 1, § 23) dicitur obediendum esse «in omnibus, ubi peccatum non cerneretur». Verum alii communiter cum Suar. (Tr. 7.°, l. 10, c. 8, n. 5, seqq., item Relig. Soc., l. 4, c. 12, n. 10 et seqq.) haec intelligunt de obedientia ex Constitutionibus aut Regulis, non de materia, quae praecipiatur et adimplenda sit vi voti; quam limitant ad res in Constitutionibus aut Regulis explicite vel implicite contentas, prout in Gury-Ferreres exponitur. Cf. Genicot, vol. 2, n. 101.

2.° An complectatur actus heroicos? «Pe-

culiare est Soc. Iesu, ait P. Oswald (n. 354), quod actus etiam heroici regula comprehenduntur et vi voti imperari possunt.» Citat varia Constitutionum loca; sic p. 9, c. 3, § 20, dicitur: «Generatim loquendo, in rebus omnibus, quae ad propositum Soc. finem, perfectionis et auxilii proximorum, ad gloriam Dei faciunt, omnibus praecipere in virtute obedientiae possit.» Cf. Suar., t. 10, l. 4, c. 12. Hinc potest etiam non professus mitti ad Indos, ad peste tactos. Cf. Epitomes, P. V, n. 24; P. VII, n. 55.

Forte alicui non satis videatur constare quod diximus de peste tactis. Itaque, si hi sint proprii Conventus aut Ordinis, affirmat S. Lig. (De praec. partic., n. 40) cum Sanchez l. 6, c. 2, n. 56) et communi: de extraneis vero negat, nisi deesset qui Sacramenta necessaria ministraret: id autem de religioso generatim traditur; ast respectu Nostrorum eritne aliter dicendum? Certe apud auctores Nostros altum de hoc casu silentium, nisi quod a P. Oswald affirmari audivimus «peculiare esse Soc. Iesu quod actus etiam heroici possint vi voti imperari», idque de missione ad Indos aut ad haereticos omnes expresse asseverant. Iam autem duplex ratio, quam pro ista Missione urget Suarez quoad non Professos, eadem fere vi, meo quidem iudicio, valet pro peste tactis. En 1.ª: Allato, quem supra transcripsimus,

Constitutionum loco (ex P. 9, c. 3, § 20), sic arguit: «Potestas praecipiendi limitatur ex fine, quem Societas sibi proposuit... Ergo quae ad hunc finem necessaria vel convenientia fuerint, recte infra materiam huius voti comprehenduntur... Quae vero sunt vel contraria huic fini, vel certe impertinentia ad illum, non est cur...» (De Relig. S. I., l. 4, c. 12, n. 10). Vi huius ratiocinii includit in materia voti, etiam non Professorum, missiones ad Indos aut ad Haereticos, excludit mitti ad redemptionem captivorum, ad negotia reipublicae, quamvis etiam hae res, ait n. XII, praecipi per accidens possunt, si Superior in casu aliquo iudicat expedire ad auxilium animarum. Hic autem quis neget assistere Nostros aegrotis in peste publica conducere ad salutem animarum? Verum 2.ª ratio sic se habet apud Suar., n. XVII. Missio ad Indos aut Haereticos expresse ponitur ut propria Soc., etiam pro non professis, «ad quaslibet mundi partes, ad quodvis tempus» (loc. cit., § 9). Nec obstat «solum dici, ait Suar., *mittere poterit*, non vero dici *praecipere poterit*, tum quia non potest efficaciter mittere, nisi possit etiam *praecipere*, tum etiam quia eodem modo dicitur posse mittere, ac posse revocare vel officia distribuere, in quibus constat posse praecipere».

Atqui, equidem sic arguo, pariter in Instituto constat, non solum posse, sed debere, a

Provinciali designari tempore pestis qui proximis iuvandis vacent (Epitomes P. V n. 24 et Part. X n. 55) «cum pestis saeviat aliquos designet (Provincialis), qui ab aliis separati infectis iuvandis vacent»: ergo, ex ratiocinio Suarezii, potest id praecipi, seu est materia voti.

Fateor rationem Suarezii per se concludere, i. e. attenta hominis natura et rei arduitate; quamquam, Deo sint gratiae, attenta vocationis gratia, quae inter Nostros semper viguit et viget, nec ad difficillimas Missiones nec ad peste tactorum auxilium, opus unquam fuit praecepto, summa enim animi consolatione legimus in historia Societatis, et praecipue in libro Fastorum, plures semper sese ad illa munia sponte obtulisse, quam designari possent, aut certe ad simplicem superioris electionem ivisse, saepe martyrio aut sanguinis aut charitatis donatos, non raro per miraculum aut admirabili Dei providentia indemnes prorsus conservatos. Ilustre huius liberationis exemplum testatur P. N. Roothaan in epistola de cultu Purissimi Cordis Mariae.

3.° An materia voti sit Regula. Licet in genere disputetur; tamen in Societate negandum est cum Suar. (Tr. 8, l. 1, c. 2, n. 14.) Nempe neque regula, ut sic, nec poena ordinaria, quam Superior transgressori regulae imposuit, est materia voti. Ratio ex Const.

petitur, quas citavimus n. 5, atque ex iis, quae diximus n. 21. Id tenet, quamvis Superior dicat v. g. oneramus conscientiam (Ramière n. 148. Villada n. 96). Tamen, ait Suar., eum, qui Regulam non servat, imperfectionem contra votum committere (t. 7, l. 10, c. 7, n. 17).

34. De Virtutis Obedientiae materia. (N. 169.)

Ea certo est, quae in Instituto exprimitur, nempe.– «Ad omnia, in quibus peccatum non cerneretur», idque quamvis non praecipiatur stricte, sed solum suadetur aut signum voluntatis suae a Superiore proditur. Tamen assensus *internus* in aliquam certam doctrinam non spectat ad obedientiam religiosam, sed ad illam, quae debetur auctoritati doctrinali Ecclesiae. (Ramière n. 147.)

35. De actibus internis.

An sit materia obedientiae nostrae. Exclusimus actus, qui circa opiniones versantur; quaeritur de caeteris: nec quaestio confundenda est cum simili in tractatu de legibus. Namque, ut notat Suarez, ibi agitur de iurisdictione subdito involuntaria, hic vero de potestate dominativa, cui religiosus se voluntarie subjecit. Hinc illi ipsi, ut Suar., qui de lege in genere probabilius excludunt actus internos, eos

in obedientia aliquorum religiosorum includunt (Tr. 7, l. 10, c. 9, n. 5). Atqui in his certe nos sumus: namque materia voti nostri, ut vidimus, amplectitur saltem quidquid fini ipsius seu Instituto conforme est, materia virtutis omne licitum; aliunde in Constitutionibus et Regulis multi praescribuntur actus interni: ergo hi sunt materia voti—si forte a Superiore stricte praecipiuntur;—ex virtute autem poni debent eo ipso, quod Regula observanda est, aut si a Superiore sine stricto praecepto iubentur.

36. De voto solemni et simplici. (N. 170.) *Verius* (ait S. Lig. n. 48), etiam solemniter professus, de hoc enim loquuntur aa. ibi citati, valide et licite per se vovet aut contractum celebrat, de materia aliunde non vetita, etsi potest Superior hos actus irritare (Cf. Genicot, n. 103). Atqui haec consonant dictis de natura status relig. et discrimine inter utrumque votum nn. 16 et 17; quamvis autem aliquibus non probentur, solido tamen fundamento constant.

37. De re dubie licita. (N. 170, Quaer. 2.º)

Obligationem obediendi affirmat cum Sanchez, Valentia, etc. S. Ligorius pro quavis lege «ubi certum non est peccatum». «Et sic, ait,

docuerunt omnes, qui de hac re egerunt (1). Ita etiam omnes Mysticae Theologiae Magistri cum S. Ignatio de Loyola»: Ita S. Ecclesiae Doctor l. de Legibus, n. 100. Idem fuse et a fortiori probat ubi de statu Relig., n. 47, quamvis subdito unice sit probabilis rei praeceptae illicitudo; idque tenet cum Pal., Sanch., Suar., Valentia etc., quos citat; «idemque dicendum in dubio, an praeceptum excedat potestatem Superioris, vel an sit contra Regulam». Ratio est quia in tali dubio Superior, qui probabilem existimet rei honestatem, possidet ius praecipiendi, ex quo sequitur in subdito certa obligatio parendi, nec in hoc casu lex est dubia, quippe certo scitur res praecepta. Excipe si res sit valde difficilis et molesta, vel subditus damnum grave sibi aut tertio ex praecepti impletione timeat (V. Genicot n. 102 II): sed adhuc in his adiunctis, regulariter, ait Suarez (Tr. 10, l. 4, c. 15, n. 25), existimo esse perfectius obedire. Hinc constat quam solida sit obedientia, qualis a S. P. N. Ignatio praescribitur (2). Nempe in tali dubio praestat ius Superioris.

---

(1) Aliqui certe dissentiunt, sed ita solida et communis habetur doctrina, ut Sancto Ecclesiae Doctori praetereunda visa sit eorum opinio.

(2) In prima editione Gury-Ferreres afferebatur in nota sententia Lugo quasi aliud opinaretur: sed iure meritoque suppressa est nota, namque Lugo non agebat, loco ibi citato, de religiosa obedientia, sed de laicis, nec de quavis lege, sed de tributis,

38. De peccato contra votum. (N. 171.)

Graviter in Societate peccat contra hoc votum: a) qui legem vel praeceptum infringit sub gravi Nostris impositum sive in Instituto ipso, sive a Superiore tibi, de quo vide n. 5.: b) qui respondet *nolo obedire* vel *nolo facere;* etsi praecipiens sit Minister, qui nequit in virtute obedientiae praecipere, respondens autem non sit frater coadiutor, quamvis id postremum apud P. Villada, n. 96, acute disputetur ob vocem *fratres* a Congr. VII adhibitam; exstant tamen plura Gener.^{m} Responsa, quae de *aliis etiam* Decretum Congr. interpretantur—(Ramière n. 149, 3.^{o}) De responso: *non faciam* declaravit P. Mutius non esse reservatum, quia potest significare *non possum facere:* reservatur si adhibetur pro *nolo* facere (Ramière ibid. 5.^{o}); Tuncque est mortale peccatum.

Addit Gury-Ferreres peccari graviter, si ex inobedientia sequatur scandalum aut damnum grave. Ast in hoc casu, cum inobedientia per se est levis, non videtur gravitas esse contra votum, sed contra caritatem aut aliam virtutem, unde nec in reservato contra obedientiam exprimitur hic casus.

Tandem graviter peccat religiosus quivis contra votum, si deliberate desiderat votum opere in re gravi infringere, itemque si au-

---

quae sive ex natura eorum sive ex fine, probabile putat non obligare, si probabilis apparet eorum iniustitia.

ctoritatem formaliter contemnit. Veniale peccatum erit, si res in virtute obedientiae praecepta appareat undequaque levis: si in Superiore non contemnitur auctoritas, sed aliud, v. g. ignorantia; si damnum est leve, quod ex levi inobedientia oritur.

An autem infringatur *votum* in praecepto sub excommunicatione aut gravi suspensione, non omnium eadem sententia est. Certe peccat graviter qui non obedit: ast Suar. opinatur peccari solum contra obedientiam, quippe Superior tunc utitur potestate iurisdictiva, non dominativa: dum Lugo censet utraque potestate praecipi, unde peccatur etiam contra votum (V. Genicot n. 104). Igitur ex Suar. esset casus peccati gravis contra solam virtutem; ex Lugo addendus esset talis casus peccatis supra positis contra votum. Itaque constat peccari graviter contra virtutem, non constat an etiam contra votum.

39. Quibus obediendum. (N. 172.)

Vi voti obligamur ad obediendum imprimis Summo Pontifici, quippe Superior primarius Societatis est: deinde Superioribus nostris, ac iis proinde, quibus delegatur potestas iubendi ex vi voti (Ramière n. 146.) *Ex Regula* obediendum etiam est illis, qui a Superiore aliquam auctoritatem habent, quique in Const. (P. 4, c. 10, nn. 6, 7 et 8) *officiales* eius vocan-

tur, quorum singulis in suo officio integra obedientia praestanda est; reliqui officiales Ministro obediant; omnes Superiori, prout is praescribat. Superiores seu Prelati in Soc. sunt Generalis, Provincialis et Rector aut Superior localis (Suar. tr. 8, l. 2, c. 2); officiales enim, licet, sensu lato, superiores sint, imo de Ministro expresse id ait P. Claudius (1), tamen non ita absolute vocantur.

40. De modo obediendi. (N. 172.)

Voluntaria executio rei praeceptae spectat, ut vidimus, ad substantiam obedientiae; reliqua in Regulis contenta, uti alacritas, intentio formalis obediendi, submissio intellectus etc., christiano cuique consilia sunt, nobis insuper praecepta Regulae.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM (N. 174 seqq.)

41. De privilegiis Societatis in genere.

1) Quaenam sint. Dubium, si quod fuit, post restitutam Societatem, substulit Leo XIII s. m., confirmans iterumque concedens omnia Societatis Iesu privilegia, quae vel a Tridentina Synodo vel ab Apostolicae Sedis Consti-

(1) Cf. Ordinat. Gener. c. 2, n. 18: item Reg. 24 et 35 ex Communibus id supponunt.

tutionibus revocata non fuerint: non obstantibus Brevi Clementis XIV *Dominus ac Redemptor* aut aliis quibusvis (*Dolemus inter alia* 13 Jul. 1886) (1).

Ex privilegiis alia directo, alia indirecte seu ex communicatione cum aliis Ordinibus, Congregationibus etc. Societas habet. Uni etiam loco, v. g. Provinciae Societatis, concessum, potest alius Provincialis ad suam extendere, nisi obstet concedentis voluntas: verum consule P. Ramière n. 535, qui exceptiones affert et loca Instituti. Caeterum *Privilegiorum Compendium*, editum anno 1891, prout etiam iacet in postrema Instituti editione (1892), exhibet authentice actualia et ordinaria nostra privilegia: quibus pauca adde postea concessa, quae proprio loco notabuntur, sicuti limitatio inducta circa exemptionem ab examine Ordinandorum, aut si qua alia notabitur.

2) De Privilegiorum interpretatione.

Iuridica interpretatio Praelato externo vetatur (2). In dubio interpretatio sit in favorem Societatis; quod si quaestio durat, remittatur aut ad Sedem Apostolicam aut ad Societatis Generalem, cuius interpretatio vi gaudet authentica et iuridica. Tamen pro foro conscientiae et ad quietem sui subditi ius habet interpretandi Superior localis, qui quidem si dubi-

(1) Vol. 1 Instit. pag. 452.
(2) Cf. n. 4. De legum Soc. interpret.

tat, doctos consulere tenetur. (Comp. Priv. nn. 144, 283, 286, 287; Cf. Ramière n. 536; et S. Lig. De Privilegiis nn. VIII et LXXIII.)

3) Quibus privilegiis uti possimus.

Nullibi id melius disces quam in ipso supra dicto Compendio, ex quo hic afferenda desumimus. Principio autem id in Praefatione statuitur: «Quoniam secundum litteras apostolicas nullius privilegii seu gratiae hactenus concessae, vel in posterum concedendae, usus potest in Societate licitus esse, nisi per solius Praepositi Generalis communicationem; idcirco suis in locis annotatum est quaenam gratiae, quibus, ac quatenus concessae aut limitatae aut etiam reservatae sint.» Est itaque *Compendium* authentica privilegiorum publicatio et communicationis et reservationis eorumdem.

Non autem tibi videatur usus privilegii cuiusvis, per Generalem non communicati, ideo dici *illicitus* in Praefatione, quia non est etiam *invalidus* in materia iurisdictionis, quasi nempe iurisdictio ita Nostris veniret immediate a Rom. Pontifice, ut per Generalem non ipsa iurisdictio seu facultas, sed mere licitus eius usus concedatur. Est enim id contra privilegia in ipso Compendio proposita (nn. 105 et 106), et contra mentem Societatis, quae iurisdictionem, facultates, communicat, concedit (Comp. nn. 2, 4, 6, 8, etc.).

In libro typis impresso ad usum Patrum Provinciae Galicianae, ex praenotandis primum sic habet: «Illicitus est ac insimul invalidus usus facultatum, quae a Superioribus non fuerint communicatae. Omnia enim privilegia, Societati immediate concessa, vel eidem undecumque (v. g. per communicationem) obvenientia, intelliguntur concessa soli A. R. P. N., aliis vero unice in tantum, in quantum per se vel per alios communicaverit. (Greg. XIII *Decet Romanum*, et Constit. Soc. Iesu p. IX c. 3. § 10.)» Eadem doctrina traditur in codice pro Nostris litographice impresso, sive pro Gallis Vall-Anicii. 1871, sive Verulae in Hispania. 1879: idemque docet Suarez (De Relig. t. 10, l. 10, c. 6, n. 10); Bucceroni (Instit. vol. 1, n. 270, 5: vol. 2, nn. 782 et 784.); Gury (v. 2, nn. 176 et 563.); Ballerini P. (vol. 1, tr. 9, c. 1, n. 278); Villada n. 114, et caeteri; idque merito iure, cum ita P. N. Nickel locum Constitutionum declaraverit, nempe, agi de *valore* (Ramière n. 537) (1).

Tamen, quando privilegium quidem communicatur; sed usus tantum prohibetur, aut modus praescribitur utendi; tunc valebit usus, etsi illicitus evadat ob prohibitionem, aut si modus non servetur.

Privilegia, quae in praedicto Compendio non

(1) Objectiones solvam n. 50.

continentur, non sunt communicata. Unde in casibus *extraordinariis,* i. e. cum usus privilegii non communicati necessarius est, recurrendum ad Generalem; quod si periculum est in mora, censetur communicatum Superiori, etiam locali; qui tenebitur quamprimum de usu ususque causa certiorem facere Provincialem, hic rursus Generalem (Praef. Comp. n. 2). Ad *extraordinaria* privilegia spectant, quae aut Societati directe competant, aut ex quavis communicatione, nec tamen in actuali Compendio expressa.

4) Normae pro usu privilegiorum ex Praefat. Compendii.—1.ª Ex compendio, edito anno 1891, discendum est, quibus personis et qua ratione privilegia communicentur. 2.ª Ubi nihil de communicatione dicitur, gratia illa censetur communicata prout sonat. 3.ª Superioris est facultatum usum, etiam a Generali concessum, subditis suis limitare aut suspendere.—4.ª Superiores significantur in Compendio Provincialis, Praep. domus professae, Rector: item, dum illi absunt nec facile consuli queunt, eorum vicarii. Tamen, ut notat Ramière n. 538, in praxi, ex tacita saltem Provincialis concessione, communicantur Superiori Residentiae facultates Praepositi domus professae.—5.ª Quae de professis in Comp. dicuntur, intellige etiam de Nostris, qui vota biennii emiserint, nisi expressa fiat ex-

ceptio. 6.ª Qui ex privilegiis nostris absolvit a casu cum censura, moneat poenitentem nihil sibi id prodesse in foro exteriori. (Comp. n. 4.)

5. De mente Societatis in usu privilegiorum. a) Iuxta Const. (VI, 1, 3) statutum est a P. Generali, ne quis facultates, sibi aut aliis, extra Societatem procurent, nisi approbante et mediante Provinciali. b) In universum Nostri adiuvent proximum per media et gratias Societatis: aliae vero nullae postulentur aut rarissimae. c) Nostri de privilegiis Soc. cum externis non loquantur nec ea illis ostendant indiscrete. Cf. Ramière n. 539. d) Ex Congr. 23 D. 39 facultates ab altiore Superiore concessae ostendantur Superiori immediato, etsi in illius epistola includantur. e) Quando novus Gener. facultates antecessorum revocat, intellige per se de iis, quae quasi dispensant a Regula, v. g. dandi etc., non de facultate absolvendi, dispensandi etc. (ita La Croix l. 6, n. 1591, apud Villada n. 158 in nota). Attende tamen ad tenorem revocationis. f) Facultates durant donec revocentur; sed nisi successori, id petenti, aperiantur, cessant. (Can. XI. Congr. VII.) g) Privilegia, Ordini vel communitati religiosae concessa, etsi iuri communi vel tertii adversentur, sunt favorabilia, et latissime interpretanda (S. Lig. H. A. l. 2, n. 8); tamen in Nostris Societas exigit ut eorum usus

sit moderatus et prudens. (Inst. vol. 2. pag. 145; vol. 3, 83.)

42. De privilegiis soc. in specie.

Primo aliquid de exemptione notabimus, tunc de aliis, quae confessariis nostris aut communicata sunt in Compendio, aut per Superiorem communicari possunt: caetera minus frequentis usus hic omittimus.

De exemptione. (N. 208 etc. Comp.) *Quanta sit.* Non solum personae, sed loca et bona Soc. subtrahuntur a Papa alii auctoritati, quae de Soc. non sit, etiam ratione delicti, seu contractus, vel rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat. Sunt tamen plures casus excepti. Catalogum eorum, in quibus generatim Regulares Episcopo loci subduntur, reperies v. g. ap. Ferraris (Biblioth. ad v. Regulares art. 2.°). Ex ibi adductis aliqui ad Nostros non spectant, uti constat ex Soc. privilegiis; plures ex ipsa Theol. Mor. cognoscuntur, v. g. in causis Fidei, in praedicatione Verbi Dei, susceptione Ordinum, Confessionibus saecularium et Monialium, in earumdem clausura et colloquio, in crimine contra sigillum, sollicitationis in confessione, in celebratione Missarum; in Viatico, Extrema-U. et funere non exemptorum. Quatenus vero in dictis, aliisque raro accidentibus, ab Episcopo pendeamus, fere ex

ipso Theol. Mor. auctore liquet, aut ex Comp. Privileg., ubi de singulis agit.

Praeterea ad solemnem et publicam S.^mi^ Sacramenti expositionem egemus venia Episcopi: itemque ad erigendam sodalitatem fidelium (1), ad annuntiandam indulgentiam novam localem (Cf. in Comp. nn. 520, 205, 212), et ad novas Reliquias aut inusitatas Imagines sacras cultui publico proponendas. Trident. sess. 25 de Invocatione, etc. Tandem tenemur servare festa dioecesana, etsi non ieiunia citra scandalum (n. 114, ap. Ferraris, l. c., cf. etiam n. 36, ad *v. festa,* et c. 17, sess. 25, R. Trident).

Itaque, in quibus Episcopo subdimur, possumus ab eo puniri, minime vero per censuram, nisi in tribus casibus, quos habet Gury-Ferreres (vol. 2, n. 949, aut Comp., n. 209). Notat autem Lehmk., n. 873, «pro aliquibus vicibus licere, sola parochi licentia, concionari, si difficilis sit recursus ad Episcopum: imo praeceptum petendi benedictionem Episcopi consuetudine aut circunstantiis temperari». Certe in Hispania solet expresse dari ad praedicandum in pagella, qua datur facultas confitendi: Tamen, quamvis aut venia aut benedictio Episcopi petatur, Nostri tonsurati possunt ubique praedicare (Comp. n. 447 et seqq.). Cf.

(1) Ad finem opusculi reperies Instructionem P. N. de hac re, ubi etiam constant Societatis privilegia pro ecclesiis nostris.

Ramière, n. 388: sed fuse id tractat Suarez (tr. 10, l. 9, c. 1), ubi nn. 17 et 31 distinguit catechesim laicis licitam, a concione, quae fit convocato populo, doctis et indoctis, ut verbo Dei illuminentur et excitentur.

QUINAM EXEMPTIONE GAUDEANT. Quod ad suas personas, i. e. subiectionem, correctionem, sacramenta, sepulturam, gaudent exemptione praedicta, non solum Nostri, etiam Novitii, sed et familiares, convictores et hospites. (Comp., ad has voces.) Adverte autem. 1.°) Quid nomine *familiarium* venit, quod habes sive in n. 237 Comp., sive in Gury-Ferr. (vol. 2, n. 563, Quaer. 10.) 2.°). Quamvis de *convictoribus* disputatur an sint familiares (Gury-F., n. 564); ast certe fruuntur, modo Superior velit, eadem exemptione, quippe concessa expresse tunc aliis, tunc pluribus e nostris collegiis, et communicata omnibus Superioribus in Comp., n. 230. 3.°). Respectu *hospitum* «Nostri, ait Comp., n. 202, praeter quam in subito casu, cum necessitas premit et tempus non suppetit adeundae parochiae, in praxi non utantur»: nempe ad ultima sacramenta, etc., quod spectat; alioquin valde probabilis vocatur a S. Lig. (l. 1, n. 156) opinio, qua etiam non exempti, dum in loco exempto versantur, legibus dioecesanis minime subsunt, secluso scandalo, et exceptis casibus, in quibus, ut diximus, non valet exemptio.

N. B. a) Ut exemptionis privilegium prosit, opus est ut in domo Nostris destinata duodecim saltem religiosi degant. (Ex Innoc. XII, Const. *Nuper,* 1697); nisi ex benigna concessione Episcopus iuri suo parcat, aut domus parva, iuxta d. 28, Congr. 23, subsit immediate Rectori collegii, cuius quasi pars aut complementum merito censetur. (Cf. Villada in nota ad n. 32.) In Italia sufficiunt tres: ita ap. Act. S. S., t. 40, pag. 275 in nota. Tamen qui ex obedientia extra domum suam ad tempus versantur, censentur esse intra claustra. (S. Lig. n. 82.)

b) Alia pro dispersis a civili potestate, pro locis Missionum, et pro paroeciis vide in nn. 212 et 213 Comp.

c) Exemptioni cedere Regulares nequeunt, nec contra eam valet consuetudo (S. Lig. n. 73); in dubiis autem decisio spectat ad Sedem Apost. (ibid. et in Comp. n. 210).

43. De aliis Privilegiis.

Quae nostris Confessariis in Compendio communicantur. 1) *Absolvere* sacramentaliter tum saeculares quosvis, praerequisita Episcopi loci approbatione; tum regulares, si licentiam habent confitendi extra suum Ordinem. (Comp. n. 2.) 2). *Absolvere* familiares nostros: ad quos tamen, sicut nec ad alios exemptos, non opus est approbatio Episcopi (Comp. n. 14). 3). *Mi-*

nistrare sacramentum Poenitentiae sine superpelliceo, stola tantum induti (si haec est in usu), etiam in Ecclesia publica (Comp. n. 131). 4). Absolvere a casibus Papalibus, Episcopo reservatis (Comp. n. 6).

N. B. Hos casus habes apud Gury-F. n. 276: sed adverte, ut supra diximus, absolvi solum in foro interno; item nostrum privilegium non se extendere ad reservata synodalia, nisi in casu sequenti.

5) Absolvere quoscumque, etiam Regulares externos, quibus Missionem, Exercitia, vel etiam diem Praeparationis ad mortem Nostri tradunt, a peccatis et censuris, etsi Papae, sive Episcopo, sive in Ordine illo reservatis; exceptis specialiter R. Pont. reservatis, itemque poenis ab homine: pariter Moniales et feminas in Conservatoriis degentes, si, ad Moniales approbati, ab earum Superioribus licentiam habeant, si forte subsunt Praelato Regulari, qui non sit dioecesanus loci, et ipsi vel Exercitia praedicta dirigant, vel socii Directori a Superiore adiungantur (Comp. n. 10).

6) *Aperire* litteras S. Poenitentiariae «Discreto viro» inscriptas (Comp. n. 129).

7) *Commutare* vota, Papae non reservata; iuramenta, aut vota iurata; sed sine tertii praeiudicio: excipiuntur igitur propria alicuius collegii, communitatis etc., nec ingredien-

di in certam Religionem commutetur in ingressum Societatis (Comp. n. 110).

8) *Benedicere* aquam S. P. N. Ignatii, idque possunt PP. Nostri, licet non sint Confessarii (Comp. n. 69).

9) *Benedicere* sacras vestes... in locis Missionum (scil. apud infideles et ubi Episc. absit), si sint ipsi Missionarii (Comp. n. 59) (1).

10) Benedicere et erigere crucem Missionis in huius fine vel decursu (Comp. n. 71).

11) *Benedictionem papalem* in fine Missionis; sed vide Comp. n. 73: nempe detur cum Crucifixo, uno crucis signo. Adest formula Ritualis Rom. Tit. 8, c. 32, sed non tenemur illa uti, quod probatur ap. Beringer «Les Indulgences» vol. I, n. 305. Adde id ipsum, b. p., concessum Nostris fuisse a Pio X (22 Iul. 1904) in omnibus locis, in quibus Exerc. spiritualia congregatis fidelibus (quamvis de Clero sint aut Regulares, 8 Febr. 1905) traduntur saltem per triduum, cum annexa Indulg. plenaria ab illis solum lucranda, qui rite confessi et S. Communione refecti fuerint, et tempore dictorum Exercit. quinque saltem conciones audierint. Potest delegari collatio benedictionis, non solum digniori e Clero saeculari, ut in Missione;

---

(1) Ibidem communicatur omnibus superioribus facultas benedicendi et reconciliandi ecclesias nostras privatim, nec nisi Episcopus absit aut gravate faceret. Si ecclesia est simpliciter benedicta sufficit aqua simpliciter benedicta.

sed etiam e Regulari, quamvis Exercitiis non adstiterit.

12) *Benedictionum* formulis uti a S. R. Congr. approbatis pro aliquibus locis; si tamen in Rit. Rom. non habeatur specialis pro illa re benedictio, in quo casu etiam licet benedictio *pro quacumque re*. (C. n. 77: Cf. Villada n. 210 et 222.) Nec tamen possumus, sine speciali facultate, imponere Scapulare aut Indulg. Stationum concedere (Ramière n. 560).

13) Commutatio sive officii sive abstinentiarum ad privilegium seu Indulg. *Sabbatinam* pro habentibus Carmeli scapulare, ex Comp. n. 490, nequit fieri sine concessione P. Gener.; verum abstinentias modo confessarii omnes commutare possunt pro iis, qui *legere nesciunt* et commutationem abstinentiarum petunt; ergo, si de his agitur, non amplius egemus adire P. N., quoniam cuique id Confessario datur iam facultas (S. I. C. 14 Jun. 1901). Cf. Gury F. n. 1060. His adde quod a Pio X concessum est in perpetuum (22 Nov. 1905), nempe: Missionarii S. I., qui facultatem imponendi scapularia habuerint, ea tempore Missionum et Exercitiorum Spiritualium e suggestu benedicere possint adhibendo quidem formulam in plurali, et quin singulis fidelibus ea propria manu imponere teneantur. In tanto enim fidelium confluxu moraliter impossibile est singulis ea imponere.—Ex eadem ratione iidem dispensantur

ab obligatione inscribendi in catalogo etc. (Ita ex authentico exemplari, quo P. N. privilegium communicavit.)

14) *Benedicere* et distribuere palmas, candelas, cineres et alia, quae non iuris parochialis sint. (Comp. n. 65.)

15) *Celebrare* Missam tempore itineris vel expeditionis, quacumque de causa iter fiat aut quamdiu duret, in oratorio privato sine praeiudicio nec assistentia Indultarii. (C. n. 439.)

N. B. Privilegium de Communione, in Oratorio privato danda (C. n. 198), non est iam necessarium, quippe ex Pii X declaratione (S. R. C. 8 Maii 1907) potest dari a quovis Celebrante omnibus qui Missae adstant.

16) *Celebrare* Missam de Beatis Nostris in Ecclesia aliena, ubi fit de festo semiduplici. (C. n. 405, et S. R. Congr. 9 Iul. 1895.) (1).

17) *Retinere* occulte et deferre Eucharistiam ad infirmos sine lumine in locis Missionum. (Comp. n. 204 s. c., ubi a S. Congr. de Prop. Fide id concedi solet.)

44. FACULTATES, QUAS CONCEDERE POTEST SUPERIOR LOCALIS. 1) *Absolvere* a casibus R. Pontifici simpliciter reservatis (C. 4). 2). *Aperire* litteras S. Poenitentiariae «Magistris in Theologia vel Iure canonico Doctoribus» dire-

(1) Contenta in nn. 14, 15 et 16 dantur cuique e Nostris, qui sit Presbyter.

ctas. (C. n. 130). 3). *Dispensare* super votis simplicibus, etiam episcopo, sed non Papae, reservatis.

N. B. Quaenam reservantur Papae habet Gury-F. n. 333, vol. 1. 4) *Dispensare* super esu carnium, ovorum, lacticiniorum, tempore ieiunii et quadragesimae. (C. 117.)

N. B. Facultas dispensandi ab abstinentia «videtur, ait P. Villada n. 205, extendenda ad dies merae abstinentiae», quod duplici ratione probat, secutus Patrem Marquez, quem citat: nullo autem modo valet ut dispenses a ieiunio: id potest Superior cum suis, qui exemptione pollent.

5) *Dispensare* conjugatos super iure petendi debitum, amisso ob incestum. (C. 182.). 6) *Benedicere* coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata (eorum, qui in Martyrologiis rite probatis describuntur); eisdemque Indulg. Apostolicas applicare (C. 356) (1), itemque rosariis, seu coronis Indulg. S. Birgitae. (C. 357.)—Communicatur *per Superiorem* cum Patribus, qui ad Missiones aut Exercitia, aut ad verbum Dei praedicandum excurrunt, itemque cum uno alterove Sacerdote in unaquaque domo. Sufficit, intentione habita, *signum crucis;* quo possunt etiam diversis obiectis diversae simul Indulg. applicari (ibid.)

(1) Catalogus Instituti nihil differt a recenter edito per Pium X.

7) *Administrare* ultima Sacramenta iis, qui de exemptione nostra participant, eosque sepelire (C. 230 etc.); sed adverte ad dicta ubi de exemptione. 8) *Benedicere* vestes et utensilia, quae unctione non egent, pro nostris Ecclesiis. (C. 61.) (1). 9) *Celebrare* ante vel post tempus per se legitimum; nempe: a) duabus horis ante auroram vel post meridiem. b) in nostris ecclesiis (etiam Sacerdotes exteri possunt), ob iustam causam, ab hora 2.ª post mediam noctem ad 3.ᵐ post meridiem. c) Pro Missionariis, in Missione, rationabili de causa, hora 2.ª post mediam noctem: imo, ubi id tribui solet a S. Congr. P. F., bis in die celebrare ex iusta causa (C. n. 209 etc.). 10) *Dispensare* in foro interno super occultis irregularitalibus ex delicto, exceptis homicidio voluntario, mutilatione, bigamia: imo in dandis Missionibus aut publicis Exercitiis sine exceptione. (C. 174, 175 coll. 165.) Haec dispensatio exercenda est in actu Confesionis.

11) *Dispensare* cum Indis fidelibus, ubi non praeest Episcopus aut Vicarius Apost., in bannorum proclamatione. (C. 393.). 12) *Recitare* in actu Missionum, et in itinere ad illas, aut in qualibet praedicatione continuata, loco Officii divini, Officium parvum B. M. V. aliasve preces; pro qua commutatione potest etiam re-

(1) A P. N. Roothaan haec facultas sub n. 8 inter vicennales communicabatur, etiam pro alienis ecclesiis.

curri ad confessarium ordinarium. (C. 118.) At solum quando quis officium divinum difficulter recitare valeret, usurpanda est talis facultas. Ita resp. 4 Nov. 1896 A. R. P. Martin (Ramière n. 566). 13) *Tangere* nudis manibus vasa sacra, corporalia, purificatoria: communicatur per Superiorem laicis sacristis (C. 487).

45. Facultates, pro quarum usu recurrendum ad Provincialem.

1) *Absolvere* ab omnibus casibus R. P. specialiter reservatis, exceptis a) absolutione complicis in peccato turpi, quam quis dederit seu attentaverit, incurrens excomunicationem, b) falsa denuntiatione de sollicitatione, c) perduellione et invasione ditionis pontificiae. (C. nn. 3, 4.)

N. B. Quod in facultate ad omnes casus Papae specialiter reservatos excludi videtur *haeresis mixta* et apostasia, quippe excludebatur in facultate ad casus Bullae Coenae, quibus illi successerunt. (Ferraris ad v. Haeresis n.° 50; Lehmk. v. 2 n. 874, 5.) Certe facultas ad *haeresim* nostris aliisque, etiam nunc, separatim conceditur, imo non sine limitatione. Quare in compendio, sicut hic facimus, separatim exhibetur, quid circa haeresim Societati concedatur.

2) *Absolvere* ab haeresi, apostasia a fide et a schismate quoscumque, etiam ecclesiasticos aut

regulares: excipe a) si reus ex locis fuerit, ubi exercetur Officium (nisi deliquerit in locis Missionum, in quibus impune grassantur haereses); b) si iudicialiter abiuraverit (nisi natus in locis, ubi impune grassantur haereses, et illuc post abiurationem reversus, relapsus fuerit). (C. n. 3.)

De hac et praecedenti facultate adverte: a) Pro externo Regulari requiri ut licentiam habeat faciendi confessionem extra suum Ordinem (ex supra dictis iuxta Comp., n. 2). Pro poenitente ex nostris non communicari sine peculiari delegatione, ut suo loco constabit. b) Has facultates communicare Provincialis non debet nisi cum confessariis Nostris, «de quorum doctrina et discretione ita constet, ut nullus abusus, nulla Ordinariorum offensio sit timenda». (Comp. n. 4.)

Nempe in his casibus attendi debet ad multa: an censura incursa sit: monendus, qui incurrerit, non absolvi nisi in foro interno. Servanda sunt quae in reconciliandis cum Ecclesia massonibus aut haereticis praescribuntur: de Baptismo, si dandus est, de abiuratione, damni reparatione, traditione signorum aut librorum, de denuntiatione: de hac agit plene Lehmk. (v. I n. 813 v. II n. 952, 977, 987).

3) *Indulgentiam* plenariam concedere: primo conversis ab haeresi: quibuscumque fideli-

bus, in articulo mortis, saltem corde contritis, si confiteri nequeant (1). (C. n. 353.)

4) *Celebrare* et Eucharistiam ministrare, tempore seu in actu Missionis, in domo, in altari portatili, cerciorato Ordinario loci et servatis servandis. (C. n. 28.) Non communicatur nisi sacerdotibus nostris, idque iudicio Provincialis.

5) *Dispensare* in votis simplicibus castitatis et Religionis Papae reservatis, illaeso tamen iure tertii, Congregationis, Relig. etc. (C. n. 179.)

N. B. Haec facultas et communicatio videtur extendi ad tria caetera Papae reservata, quippe illis minora. P. Villada n. 188: Ramière n. 543.

6) *Dispensare* ad petendum debitum cum iis, qui, post votum simplex castitatis, matrimonium contraxerunt; vel, eo contracto, eiusmodi votum emiserunt (nisi emissum fuerit ex mutuo consensu coniugum). Admonendus est pœnitens ut, si coniugi supervivat, votum servet. (C. n. 181.)

N. B. Votum illud ex mutuo consensu irritari potest mutuo ab ipsis coniugibus.

7) *Legere* libros prohibitos (C. n. 381). N. B. 1.° Non datur facultas ut tu aliis lectionem permittas.

---

(1) Sed adhibenda est omnino pro moribundo formula Ritualis, quae affertur etiam in Breviario.

2.° Vi privilegii nequimus legere vetita ab Episcopo, quia non datur ad libros *a quibuscumque* damnatos (a. 26 Constit. *Officiorum);* tamen controvertitur an regulares eximantur, necne, a prohibitione Episcopi. (Cf. Gury-Ferreres, vol. 2, n. 984 bis.)

Certe Congreg. 25, d. XI, 3, quod n. 9 attulimus, ubi de necessaria licentia nos monet, solum meminit regul. Indicis Rom.

Caeterum, fere semper erit, saltem defectu prudentiae, etiam regularibus, illicita talis lectio.

46. NOTANDA ADHUC DE PRIVILEGIIS.

a) *Celebrare in navi.* «Die 28 Iunii 1898 SS. D. N. Leo XIII... Praeposito Gen. Soc. Iesu potestatem fecit communicandi ad decennium praedictis Patribus eiusdem Societatis facultatem, qua, durante navigatione, Sacrosanctum Missae sacrificium intra navim celebrare valeant, omissa in actu celebrationis assistentia alterius Sacerdotis, si ea haberi nequeat, dummodo nullum prorsus sit periculum Calicis effusionis, et locus, ubi Missa celebratur, nihil indecens aut indecorum prae se ferat. Contrariis...»

Itaque Pater Societatis, mare ex obedientia traiecturus, potest obtinere a P. Generali facultatem celebrandi in navi, dum privilegium sive datum sive renovatum perduret. Modum

eo utendi, praeter conditiones duas supra in concessione allatas, affert decretum S. C. de Prop. Fide, 2 Mart. 1902; nempe explicatur privilegium ita ut, quando non sit Capella propria aut altare fixum, liceat celebrare in quovis loco decenti et decoro, qualis non essent *cellulae privatis viatorum usibus destinatae:* quo, cum aliqui putaverint, vetari absolute celebrationem in cellulis privatis, en responsio eiusdem Congr. 30 Ag. eiusdem anni: Decretum... tantum respicit abusus illos, qui orirentur, si in privatis cellulis viatorum, usibus vitae destinatis, indecenter offerretur augustissimum Sacrificium Missae. Non autem absolute celebratio in cellis prohibita est, quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula.»

N. B. Quamvis in navi existat sacellum, opus est, ut in eo celebres, privilegium Pontificium, nisi ipse Papa concesserit sacellum, ut in eo, sicut in terra, offeratur Missa. Atqui hoc non accidit. Imo inter facultates Capellanis Societatis Hispanae Transatlanticae (Marchionis de Comillas) habetur celebrandi utique per mare—Missam... dandi Communionem sacram..., etc.; nihil autem dicitur de sacello. Quare, etiam sacello existente, Capellani non permittunt Missam in eo offerri, nisi a Sacerdote, cuius Pontificium privilegium constat. (Facultates habes ap. Act. S. S. vol. 39, pag. 452.)

b) Concessum est, anno 1882, Mart. 12, Prov. Castellanae incipere Missas media nocte Nativitatis et distribuere Communionem assistentibus, modo plures in domo Soc. alumni morentur, et praescriptis cautelis: id ergo licet cuique Provinciali ad suos sacerdotes extendere. (C. n. 101. Cf. Ramière n. 549). Plus id est, quam privilegium piis domibus concessum. 1 Aug. 1907. (Cf. Act. S. S., vol. 40, pag. 478.)

c) Item *auxiliares* clerici in nostris collegiis vel convictibus, durante munere, possunt in officio divino et Missa se plane Nostris conformare.

d) Item extranei, saeculares sive regulares, atque etiam beneficiati, qui sub directione Nostrorum exercitia ubilibet peragunt, sequi possunt officium loci, ubi illa fiunt, si in communi recitent. (C. n. 321.)

e) Qui facultatibus supradictis fruitur, non illis fruitur erga Nostros ad absolvendum, dispensandum aut commutandum, nisi peculiariter ad Nostros concedatur (C. n. 16); de quo agemus ubi de Confessariis Nostrorum.

f) Absolutio a sola censura, non a peccato, potest dari extra sacramentum (S. Lig. l. 7, n. 126): similiter a Regularibus dispensatio a votis (S. Lig. l. 3, n. 257), a fortiori ab abstinentia; tamen PP. Gener. saepe responderunt ut haec fiant in Sacramento, auditis confessio-

nibus (Rom. n. 542); sicut expresse habes in Comp. n. 174 circa irregularitatem. Formulas reperies in Rit. Rom. tit. 3, c. 5.

g) Concessiones dioecesales, quae Privilegia nostra non minuunt, sed iuxta varia loca varie augent, apprime cognosci debent a NN., ait *Elenchus* facultatum pro assistentiae Galliae usu. Imo ubi Congr. de P. F. similes concedit, potest Provincialis dare Nostris facultates ad Matrimonia etc. (*Plura inter* pag. 350 v. 1, Inst., et Comp. Priv. nn. 59, 382, 384, etc.)

Harum aliquae, etiam in Europa, obtineri possunt, medio Superiore, sive a Nuntio pro illius territorio, sive a S. Poenitent. pro tota Ecclesia ad triennium, sive ab Episcopo pro sua dioecesi.

N. B. Plura quae, in diversis Theol. M. quaesitis, notari pro NN. deinceps possent; missa fere faciemus, si ex Privilegiis modo adductis cognoscuntur; aut etiam ex dicendis de Confessariis Nostris.

47. De Missae intentione seu applicatione. (N. 370.)

Quicquid olim permissum fuerit, postea, idque saepe, declaratum est a PP. GG. unico sacro non satisfieri diversis obligationibus (Ramière n. 306), imo contraria sive opinio sive praxis vetatur Nostris: unde, non solum si ex

iustitiae debito celebratur, sed alias etiam, singulis intentionibus, sive in Instituto sive a Superiore praescriptis, singulae Missae applicandae sunt.

Tamen, idque modo dicta corroborat, pro locis, ubi dispensatio Pontificia communicatur ad stipendia, P. Anderledy sequentia statuit (Ordin. de Stipendiis 31 Jul. 1887): «Sacra, in Catalogo praescripta, secunda saltem intentione, celebrari debent: imo *prima* intentione applicetur: a) hebdomadaria ad intentionem P. Generalis. b) illa mensis Nov. pro defunctis Soc. c) etiam quae indicuntur pro singulis defunctis Nostris: d) quando pro re gravi petitur a Superioribus.» Ita nisi aliter statuatur. Sunt autem domus aut collegia, in quibus, licet ex dispensatione celebretur saepe cum stipendio, tamen pro singulis Missis, in Instituto aut a Superiore injunctis, Missae totidem prima intentione applicantur. Quisque ergo faciat quod pro sua domo statutum sit a Provinciali.

Caeterum intentio secunda est *conditionata*, i. e. si primae nihil obsit. (Cf. n. 352 Gury-F.) Qui nequit Missas per se offerre, potest per alium facere, sed non tenetur, nec ad supplendum post tempus praefixum; nisi ex negligentia omiserit. Perpetuo inhabilis debet loco Missae offerre Rosarium. Qui in Missione laborat, videtur eximi a Missis, quae extra ordinem indicuntur, exceptis quae dicuntur pro defun-

ctis. Haec et alia ex Resp. GG. reperies apud Ramière n. 306.

Obligatio, de qua hic loquimur, est ad modum regulae. Recole ergo dicta n. 21.

48. De Stipendiis ob Ministeria. (N. 378...)

Praeter dicta n. 31 et n. 47, nonnulla hic notanda occurrunt ad usum Sacerdotum Soc. Aliter enim solvendi sunt casus pro loco, ubi dispensatio Pontificia viget, aliter ubi Constitutio nostra: illic normae a Superiore propositae standum est, hic autem quodvis stipendium recusari debet, prout legitur quotannis ad mensam. Differt stipendium ab eleemosyna, quod illud quasi debita labori merces aut datur aut requiritur, creatque proin, si ante ministerium offertur, obligationem iustitiae, v.g. Missam celebrandi: Iam vero, ut casus aliquos recte solvas, duo quae sequuntur advertas.

1.m A religioso peccari in paupertatem, sive aliquid pretio materiali aestimabile acquirat sine licentia, sive de tali re disponat, etiam recusans, postquam ad illam religio ius habet.

2.m Cum Sacerdos, oblato stipendio, Missam celebrat ad intentionem dantis, verum ius acquirit ad stipendium.

Quibus praeiactis, sic casus resolves: 1.° Qui, recusato stipendio, Missam pro offerente cele-

brat, si id facit ubi dispensatio non viget, optime facit; sed neque ubi viget peccare dicendus est in paupertatem, quia, cum stipendium recusavit, nondum ius ad illud religio habebat; sed neque Missa celebrata acquirit, quippe gratis celebrat. Tamen ex adiunctis accidere potest ut peccet sive in obedientiam sive in caritatem. 2.° Qui celebrat pro alio, qui stipendia consumpsit, quin possit amplius oneri satisfacere, non peccat in paupertatem, quia agitur de mero favore. 3.° Qui stipendium Missae, ad intentionem dantis celebratae, accipere ita recusat, ut tamen danti iniungat usum illius, is peccat in omni hypothesi, ut patet; atque, ubi stipendia recipiuntur, agit invalide contra monasterii ius; idque quamvis de stipendii usu nihil aliud disponat, sed mere accipere in casu nolit, inscio Superiore.

N. B. a) Sunt hodie in Societate Provinciae, ubi Dispensatio non communicata est, sunt ubi solum cum limitatione, prout nempe P. N. iudicat illis necessariam esse, necne, ad sustentationem, in quam solum stipendia impendere licet, etiam ubi permittuntur; prout recentissime A. R. P. Martin in Congr. Procuratorum in mentem revocavit. b) Professus, qui stipendia in legem transire procuraret vel in id consentiret, sacrilege peccaret in primum e quinque simplicibus votum. (Ram. n. 580); imo universa Societas Iesu vehementer exo-

ptat, ut quantocius liceat stipendiis valedicere, Constitutionem S. P. Ignatii servare. Quare, quoniam vota haec statim perficere non datur, aliquid tamen feliciter coeptum est. Etsi enim, ut scribit P. N. Wernz, SS. Pius X: «se prorsus non videre affirmavit, cur membra quaevis Societatis nostrae, quae unam ac veram familiam constituit, si penuria laborant, precariis eiusmodi stipendiorum subsidiis, salva Instituti nostri paupertate, sublevari nequeant»; tamen, die Sacratissimo Iesu Cordi devota, erecta est Valentiae, in provincia Soc. Aragonica, prima post restauratam Societatem domus Professa, idque «ita ut, praetermissis paulatim Missarum ac Ministeriorum stipendiis, solis demum piae admodum Civitatis eleemosynis sustentetur». Id, Praeposito Aragoniae et Residentiae Valentinae Superiore cum suis consultoribus exoptantibus, summo animi gaudio P. N. decrevit, sperans fore ut tantam erga Institutum nostrum observantiam aliae quoque domus nostrae imitentur (1). Instructionem tandem, de stipendiorum materia, a P. N. expectamus, quam ex Congr. 25 mandato daturus est.

49. De Confessariis Nostris. (N. 557 etc.) Nostri, ut caeteri Presbyteri, invalide absol-

(1) Decretum P. N. de Residentia Valentina in domum Professam erectione (19 Maii 1907).

verent tum saeculares tum Moniales, sine *approbatione* Episcopi loci, prout in auctore Theologiae Moralis explicatur. *Iurisdictionem* communicavit Rom. Pontifex immediate, i. e. sine medio Episcopo, non sine medio Societatis Praeposito, ad confessiones sive saecularium sive regularium, quod deduces ex dictis n. 42 et 44: potest etiam haberi, sed non pro regularibus exemptis, ab Ordinario loci, prout constat ex S. C. Episc. et Reg. 2 Mart. 1866.

Quibus positis quaeritur a) per quem Superiorem iurisdictio Nostris communicatur: b) de obligationibus Confessariorum Societatis. c) de eorumdem facultatibus. Quae quidem primo in Confessariis extraneorum considerabimus, dein in Nostrorum.

50. De Confessariis externorum.

Iurisdictio. Ad Provincialem spectat Praedicatores et Confessarios constituere, praemisso domestico examine et approbatione Episcopi loci (Prov. Reg. 26). Ab examine *ad audiendas* solum eximuntur, qui ad Professionem solemnem quatuor votorum sine examine admittuntur (d. 16 Congr. VII cum d. 19 Congr. 23). Potest tamen Provincialis dispensare ut ante hoc examen audiat aliquis confessiones (Villada n. 110). Praeterea ex Comp. n. 2 intelligitur Superiorem localem posse etiam *iurisdictionem conferre,* sin minus pro omni loco et

tempore, prout censetur data a Provinciali, ast pro certo loco et occasione, v. g. in Exercitiis, in Missione. Itaque designatus a Provinciali sine restrictione, solum ad licitatem eget licentia Superioris immediati; eget tamen ad valorem approbatione Episcopi quoad saeculares et moniales, nisi in loco nullius dioecesis nec quasi-dioecesis, prout constat ex Leonis XII verbis allatis a Villada n. 129, aut similibus in Bulla restitutae Soc. a Pio VII, (Inst. vol. 1 pag. 340, col. 1.ª)

Caetera quoad confessiones extraneorum habentur in Theol Mor. auctore; ita v. g. ius est Episcopi examinandi Nostros ante quam approbet. Addere tamen placet, quae sequuntur: a) in n. 561 adverte Regulares non attingi revocatione facultatum generali, sed opus esse ut expresse quoad ipsos fiat. (S. Lig. Appd. 2 De Privileg. n. 103.) b) quamvis ex dictis n. 42 reiecta manet opinio, quam in N. B. ad n. 563 proponit P. Ferreres, nempe iurisdictionem Nostris dari a Papa per se, non per Superiores, tamen refutare hic oportet eius rationes. Itaque: ad verba Leonis XII respondetur, inter nostra privilegia exstare, quod omnia privilegia Societatis, quamvis membris eius concessa sint aut in posterum concedantur, conceduntur soli P. Gener., et iis quibus ipse per se vel per alios communicat. (Comp. n. 105-106.) Similiter, cum a Pio VII singula Societ. mem-

bra sub *immediata* constituuntur obedientia S. Sedis, solum eximimur ab Episcopis, non a Super.bus nostris.—Resolutio S. Congr. 2 Mart. 1866 est de habente *facultatem,* facultas autem potius sonat iurisdictionem, nulloque modo solam approbationem: ergo neque ex hac Resolutione quicquam eruitur contra doctrinam Gury et aliorum. —Cfr., praeter allatos n. 42, Genicot v. 2. n. 334, II: Lehmk. n. 383.—Sed nec aliquid probat vox *illicitus* in Praefat. Privilegium adhibita: fuisset enim absurdum dicere semper esse invalidum: cum sint privilegia, quorum usus sine licentia est illicitus, ast non invalidus, v. g. lectio libri prohibiti.— c) Pro familiarium et alumnorum confessionibus (n. 563) recole dicta n. 41.—d) Quod (n. 569) asseritur de absolutione monialis extra claustra, quamvis careas approbatione ad moniales; non extendas ad fugitivam nec apostatam, cui, si reverti satagit in suum conventum, applicanda est doctrina circa reservata. (Gury-F. n. 570, etc.)

Verum de *monialibus,* etiam late sumptis, aliqua Nostris necessaria scitu sunt. Nimirum ordinaria, imo frequens earum, etiam puellarum sub obedientia simul viventium, confessio, in earum ecclesia aut sacello, inter ministeria ab Instituto nostro aliena numeratur. Neque ab ullo ad tale ministerium cogi possumus. Canonicam monasteriorum visitationem

Nostri suscipere non debent, imo, quantum fieri possit, neque non canonicam. Decumbentibus omnino quidem nostram operam negare non possumus quoad Sacram. Poenitentiae, servatis de iure servandis; ast regula ordinaria est Nostros non intrare monasteria ad Confessiones aegrotantium. Denuo in restituta Societate urgentur antiqua de mulieribus religiosis decreta; ne nos immisceamus in earum regimine, negotiis temporalibus, etc.; ne earum domos sine necessitate adeamus, obtenta semper de iure licentia, nec ibi diutius, quam vere opus sit, maneamus: nec foeminas, quae apud ipsas Exercitia peragunt, nisi in Confessionali aut loco patenti alloquamur: nec mulieres devotae ut altaria nostri templi ornent, permittamus. Non probabat S. Pater morem dandi foeminis munuscula imaginum, libellorum et similium...

Haec et alia reperies partim apud Instituti indicem ad vocem *Moniales,* partim apud Ramière nn. 142 et 533; Oswald n. 561, etc. e) Postremo aliquid occurrit de absolutione in itinere maritimo (n. 155): ex recentibus enim S. Officii decretis (23 Aug. 1905; 2 Dec. 1906) clarior in hac parte evasit disciplina. Hanc plene exponit P. Ferreres ap. *Razón y Fe,* tom. 17 y 18, ubi de re canonica. En quae magis nostra intersunt. Itaque facultas habenda est a proprio Ordinario, i. e. ut explicat S. C.,

«sive dioecesis, ex qua discedit Sacerdos, sive portus, in quo in navim conscendit, sive alius portus intermedii». Iam vero respectu Nostrorum. *Ordinarius, ex cuius dioecesi discedit,* videtur intelligi quivis Episcopus a quo facultatem habeamus ad suam dioecesim. Caeterum, praedicta facultate potest Sacerdos absolvere, durante navigatione, etsi navis consistat, non solum consocios itineris, sed et alios, qui ad navim accedunt, imo eos, qui, ipso in terram forte descendente, confiteri petant. Quid vero de reservatis? In navi non reservantur nisi papales, praesertim post recentia decreta: a papalibus absolvet, vel non, prout in terra, similiter religiosos vel religiosas. Extra navim in portu nequit a reservatis illius dioecesis, nisi unus ibi tantum Confessarius adsit, et recursus ad Ordinarium difficilis existat.

51. De Obligationibus Confessariorum. Praeter cuiusvis Confessarii officia, Nostris servandae sunt Sacerdotum regulae cum caeteris in Instituto contentis, de quibus aliqua notabimus.

Super 3.ª Reg. declaratum est satisfieri per hebdomadariam confessionem, commendari autem frequentiorem. Ramière n. 311: unde bis in hebdomada solet fieri. Quod ad Missam ita consuetudo invaluit quotidie eam celebrandi, ut poenitentiis compellendi essent, qui ali-

ter agerent: Resp. ann. 1591: ap. Ramière n. 306.

De 4.ª haec habe super praeparatione et gratiarum actione: nempe, ut ait Oswald n. 549, «Hora meditationis plena, quae incipit post semi-horam a surgendo, praemittitur omnibus aliis occupationibus, etiam Missis dicendis, nisi in casu necessitatis vel boni publici... pro uno alterove Sacerdote exceptio permittatur»: Vide d. 25 Congr. VII—«Post communionem per quadrantem in templo Nostri permaneant»: Resp. ann. 1642 ap. Ramière n. 308. Cf. epist. ad Provinciales missam a P. Claudio (24 Nov. 1612).

Uniformitas, de qua Reg. 10 loquitur, exurget ex servato in nostris ecclesiis Rit. Rom.; foris autem, ubi alius ritus legitime viget, si ordinetur a Superiore quem usum Nostri servent. Iterum de *Conformitate* agit Reg. 12, quod nedum ad doctrinam referendum est, quae in nostris scholis communiter traditur; sed ad eius praxim, v. g. in taxa pro mutuo, in certis spectaculis, diariis, coetibus permittendis aut non permittendis, in modo impugnandi haereticos in tali oppido, in admittenda, vel secus, tali persona ad sacramenta. In his et aliis similibus conformitas in singulis domibus obtinebitur, si quisque a Superiore locali normam petat, si autem pro sua prudentia, v. g. per conscientiae casus, eam sapien-

ter statuat, rogatis, si videbitur, Consultoribus domus, aut etiam, si opus est, Provinciali.

Familiaritas, quam Reg. 16 vetat, excludere videtur usum mulieres tractandi ut sorores aut filias carnales, vulgo *tutearlas:* quem usum merito vidi a Superioribus improbatum. Neque ab hoc alienum est quod in primaevis Societatis consuetudinibus legi (vol. Miscellanea Archiv. rom.) «Nostros non consuevisse manum mulieribus deosculandam praebere (1).» Audiatur de his S. Ligorius: «Loquendo autem de prudentia Confessarii, ipse regulariter in Confessionali cum iunioribus (mulieribus) sit potius rigidus quam suavis, nec permittat illas ante confessionarium accedere, ut sibi loquantur, multoque minus ut manus deosculentur.» H. apost. tr. ult. n. 54.

Prolixitas, vetita in Reg. 17, spectat etiam ad scrupulosas: ita ex Instruct. III, quae Instructio ait praeterea ut de regularum inobservantia a Praefecto Ecclesiae, aedituo aut alio Superior moneatur; itemque ut confessionis generalis repetitio, nisi necessitas sacramenti exiget, non excipiatur.

De 18.ª Reg. et de 3.° inter Monita Generalia audiatur Epit. Instituti: «Etiam poenitentiis urgenda, imo, si opus est, praecepto obedien-

(1) Sunt apud Ramière n. 136, 3, Resp. GG., nempe a. 1596: non decere manum deosculandam porrigere feminis ac puellis; a. 1629: id vitandum est quantum mos patriae permittit.

tiae et monito P. Generali. Si loci dispositio non patitur ut Sacerdos a socio videatur, monendus de hoc Superior, cuius est dispicere, num illo redeundum, an potius ea cura parocho relinquenda.» A restituta Societate vehementer Patres Generales Regulam de socio urgent. Late id inculcat, v. g., P. Anderledy tum epist. (8 Dec. 1884). ad Soc. universam, tum alia ad Superiores (24 Mai 1885), «Regula, ait, de socio secum retinendo, hoc tempore, magis quam unquam antea necessaria, ea, quae viros Deo sacros decet, fidelitate custodiatur»; multisque sive rationibus sive exemplis id probans, concludit: «Saltem visitationes et ambulationes extra domum sine socio fieri non permittantur, nisi aegrotus periclitetur nec suppetat socius.» Caeterum, strictius quam in nostra Regula, praeceptus est socius exeundi, in dec. Pontificio pro Reform. Regularium.

Verum iuvat hic addere quae sequuntur: «Recens promoti Sacerdotes, per duos saltem annos, ut *ordinarii* operarii in ministeriis non occupentur, atque intra hoc biennium et post illud, antequam ad mulierum confessiones exponantur, virorum confessionibus excipiendis exerceantur.—Nec permittatur Nostris mulieres visitare aut ad eas scribere, nisi in necessitate aut cum spe magni fructus, vel propter dignitatem aut merita, et hoc quidem liceat tantum viris valde probatis et prudentibus.—

Confessionalia in patenti loco sint, atque ita ut unus Confessarius sit quodammodo socius alterius. -Etiam prolixa colloquia, ubi levitas aliqua iocique cernerentur, fortiter circumcidantur: schedulae item et munuscula, clanculum data, diligentissime caveantur. Mulierculārum cura temporalis non suscipiatur nisi magna cautione, Superiore conscio.» Hactenus ex Epit. Inst. P. IV n. 50, etc. En alia ex Resp. Gen.: Tempore Missionis non est contra Regulam ut permittantur mulierum confessiones audire Sacerdotes ante expletum biennium.— Curent Missionarii ne diutius probo teste careant: nocte semper conveniant. (Ramière nn. 140, 143.) Item en dec. 39 Congr. VI. «multo magis quam caeteris interdicuntur Missionariis visitationes mulierum, quae quidem nulla de causa permittantur domum Missionarii adire, sed in ecclesia audiantur. Nostri in Missione non invitent externos ad suam mensam, nec patiantur se invitari ab aliis, quantum in ipsis erit».

Reg. 26, quamvis post decr. Innoc. XI et recentius Congr. Reg. et Episc. (4 Aug. 1888 et 17 Dec. 1890), non erat ad litteram servanda, sed prout in Epitome (P. V, n. 30) proponitur; nunc autem, manifestata Christi D. N. et Ecclesiae voluntate per decreta omnibus nota, SS. Papae N. Pii X; Nostris, sicut et caeteris fidelibus, communio frequens, imo quotidiana,

vehementer commendatur. Itaque, XXV. Congr. decreto 10; loca Instituti, ubi usus Communionis nonnihil restringebatur, mutavit plane ad Ecclesiae voluntatem. Restat ut recte Decretum observemus, quin tamen eadem per se frequentia ad *confessionem* fideles admittere debeamus, multoque minus pias feminas. «Supervacaneum, et fortasse etiam periculosum, censetur quotidie vel alternis diebus ad Confessionem (feminas) admittere.» Ita P. Anderledy ad Provincialem Castell. 12 Sept. 1884.

Reg. 27 Sacerdotum, itemque 27 Praef. ecclesiae in id tendit, tum ut poenitens propriae obligationi satisfaciat recipiendi Paschalem Communionem in paroecia, tum ut parochus negligentes monere, statumque paroeciae conficere valeat, quem ad Episcopum mittat. Quare, ubi ex parochi consensu schedulae dantur, moneatur poenitens de schedula ad parochum deferenda.

Scholion. Pro operariis nostris, praeter Regulas sive Concionatorum sive Missionariorum et peregrinorum, exstant adhuc Instruct. 2.ª pro Concionatoribus, 3.ª pro Confessariis, 4.ª ad occupationes varias Operariorum; tandemque utiles ipsis erunt *Industriae* P. Polanci, nostris diebus editae.

52. De Facultatibus Confessariorum Nostrorum quoad externos.

Nihil hac de re addendum restat his, quae super privilegiis dicta sunt, nisi quod Reg. 8.ª Sacerd. praescribit: Habet igitur Sacerdos noster. ab Episcopo loci approbatus et a Superiore Confessarius deputatus, sive modo stabili sive transeunte, nisi limitatio ponatur a deputante, facultates quae sequuntur: 1.º Quas diximus a Generali cum singulis communicatas in Comp. Privileg.. 2.º Quas sive Provincialis sive Superior localis largiatur: localis utique ex his solum. quas diximus posse, idque pro illo tantum loco, i. e. ubi per Superiorem illum occupetur. 3.º Quas Praelatus externus concesserit pro suo territorio, quarum usus per Superioris limitationem fit quidem illicitus, sed non invalidus. In his facultatibus includuntur quas poenitens saecularis per Bullam Cruciatae Confessario communicat, imo de *expressa Superioris licentia* religiosus etiam Soc. (C. n. 127).

53. De Confessariis Nostrorum.

Primo explicatur quinam sint Confessarii Nostrorum, deinde quas facultates habeant, pauca denique de obligationibus.

1.º Quinam sint Confessarii Nostrorum. Ille omnis et solus absolvit valide religiosum e Societate, qui a poenitentis Superiore facul-

tatem habet. Neque requiritur, quamvis Sacerdos esset saecularis, approbatio Episcopi, quam ad Confessiones *saecularium* instituit Conc. Trid. Cf. S. Lig. n. 575, Genicot n. 337. A Provinciali potest dari iurisdictio pro NN. suae provinciae. et designantur Confessarii in unaquaque domo, duo vel plures, iuxta decr. Clementis VIII, pro numero sociorum (Comp. n. 125). Hi ex Statu domus aut ex catalogo provinciae cognosci solent, suntque confessarii ordinarii domus illius.—Potest quidem Superior localis alium subdito permittere Confessarium, qui tamen non ideo erit confessarius domus, nec pollebit facultatibus Confessarii ordinarii. (Reg. 7 Rect.; 24 Prov.) Superioribus non licet subditi confessionem excipere, nisi reservatum habeat, aut ipse sponte ac proprio motu petat. (Comp. n. 125.) Atqui haec certo valent, si agitur de mortalibus peccatis: quoad venialia vero, quibus mortalia rite confessa aequiparantur a Suarez (De Rel. Tr. 8, l. 2, c. 16, n. 1), adhuc sub iudice lis est, utrum absolutio dari a quovis omnino Sacerdote possit, valide et licite poenitenti *regulari*. Illud certo constat, si quis e NN. confiteatur venialia apud Confessarium non designatum a Superiore suo, agere contra mentem Societatis et contra Reg. 3.^m^ ex Communibus, desumptam ex ipsis Constitutionibus. (Villada n. 2 in nota; Ramière n. 309; Genicot n. 337, 4.°) Ex dictis intelli-

ges quod in Comp. n. 125 legitur: «Nostri non possunt nec licite nec valide confiteri nisi Confessariis a Superiore designatis.» Praeterea ex Reg. tenetur quisque e Nostris habere Confessarium stabilem huicque aperire, si quid habuit inusitatum in Confessione apud alium factam, nisi hic alius esset ipse Superior, in quo etiam casu laudabiliter observatur quod regula praescribit. (Resp. ap. Ramière n. 309.) Societas *optat* ut Scholastici stabiliter confiteantur apud P. Spiritualem domus. (D. 30, Congr. XXIII.

Si quando accideret ut Superior et Minister abessent, non redituri ad noctem, simulque Confessarii domus; tunc, nisi aliter provisum sit, spectat ad Sacerdotem in Societate antiquorem designare Nostris Confessarium (decret. 17, Cong. XII; d. 9, Cong. XVII).

Nec obstat S. Poenitentiariae responsio (14 Maii 1902), ubi supponitur abesse quemvis Confessarium, sed hoc ex dictis apud nos solum accidit, cum nullus, ut ibidem casus proponitur, Sacerdos in conventu adesset; in quo casu quasi itinerans sine socio idoneo censendus ille videtur; ergo illi applica quae n. 58 pro itinerantibus dicuntur (1).

Novitiorum Confessarius est unice eorum Magister, quamvis Superior domus esset; debet

(1) Cf. praeterea quae de S. Poenitent. Resp. habentur in N. B.^{bis}, ubi de reservatis, n. 58, pag. 146 et seq.

tamen semel quotannis Superior maior, etsi Novitii non instent, deputare Confessarium extraordinarium, cui omnes cum effectu confiteri teneantur. Mos praeterea est Societatis, ut Novitiis etiam facultas fiat adeundi in triduo renovationis Confessarios designatos. Potest insuper Superior sive Domus sive Provinciae, exigere ut semel aut bis in anno sibi aut Sacerdoti a se deputato confiteantur. Tandem Congr. 23, d. 30, unde haec sumuntur, hortatur Magistrum Novitiorum ut facillimum se praebeat in concedendo ipsis alios Confessarios. Quae autem his opponi quis forte putaret in n. 125 Comp., declaravit Congr. 24, d. 25 non opponi, aut explicanda prout diximus. Itaque, quidquid de aliis disputetur, Novitii Societatis nequeunt valide confiteri apud Confessarium, etiam Nostrorum, pro ipsis non designatum, salva quaestione supra indicata de venialibus. (Ramière n. 61; Villada n. 74.)

N. B. 1.° Quicumque designetur ad Confessiones Novitiorum, sibi dictum existimet quod eorum Magistro et Superiori inculcat P. Beckx in Epist. ad Provinciales 12 Mart. 1861, videlicet, ut procuret, salvo sigillo, ne ad vota vel devotionis vel biennii admittantur, qui, ob vitium carnis vel peculiarem ad ipsum propensionem, non debuissent admitti in Societatem.—(Epist. GG. t. 3, pag. 315-317.) Adde dicta sub n. 21 de *Candidatis,* itemque

dicenda de *Ordinandis*, n. 61. 2.° Qui ad primam probationem nondum admissi nobiscum degunt Superioribus subiecti, quosque candidatos vocamus, non sunt Novitii, sed familiares vel convictores. His autem competit facultas confitendi sive apud Sacerdotem mere a Superiore nostro deputatum, quippe exemptione gaudent; sive apud Confessarium illius loci vel dioecesis. (Lehmk. n. 398; Villada n. 79.)

Patrum tertiae probationis Confessarius ordinarius est eorum Instructor: licet tamen illis adire aliquem e Confessariis domus. Imo, si Instructor est Rector, semper adire possunt P. Spiritualem domus. (Congr. 23 d. 30; Congr. 24 d. 25: Cf. Ramière n. 200.)

In itinere debent Nostri confiteri *Socio idoneo*, si habent; sin illo carent, possunt cuicumque alii idoneo et discreto, Regulari vel saeculari: ita Comp. Priv. n. 125. —Offensa a socio accepta non sufficit ut alius valide adeatur. (Ram. n. 310.) —Socius dicitur, qui itineranti adiungitur a Superiore; *idoneus* ex S. Lig. (l. 6 n. 575) reputatur quilibet Sacerdos aptus ad audiendas confessiones (nulla censura aut irregularitate innodatus), etiam si a nullo Praelato approbatus. Cf. Villada n. 8. (1).

---

(1) Certe P. Vermeersch S. J. (Apud Ferreres n. 557. N. B.), exigit approbationem.—Puto autem standum doctrinae S. Lig., neque enim constat necessitas approbationis. En quomodo idoneum describat *Elenchus facultatum* ad usum Sacerdotum As-

Quid si Socius sit Superior itinerantis? Eritne idoneus? In primis certum est licere apud illum confiteri. Ast valetne confessio apud alium sine ipsius venia? Nisi de reservato agatur, videtur ex dictis affirmandum: adverte etiam ad dicta de Novitiis et Tertianis. Quid si, carens socio, habeat in promptu Patrem Soc. ¿poteritne confiteri apud extraneum? Utique, nisi habeatur reservatum, in quo casu invalide apud extraneum confiteretur. Ita ex Resp. GG. et ex nostris doctoribus apud Oswald n. 100. Quod si plures Sacerdotes nostri simul mittantur, liberum est cuique apud quemvis illorum confiteri, nisi aliter Superior statuerit: imo, si uni ex illis concesserit Provincialis facultates Superioris localis, liceret huic delegare iurisdictionem in quemlibet Sacerdotem. (Villada n. 9.) Hinc intelliges quid liceat, si v. g. in publico balneorum loco plures casu concurrant Nostri: qui enim in casu caret socio idoneo aut Confessario suae domus, non tenetur, nisi reservatum habeat, apud Nostrum confiteri; modo Superior aliud non statuat. (Oswald l. c. Cf. Congr. 24 d. 25.)

Qui ad domum Societatis divertit per paucos dies, potest confiteri Superiori aut Confes-

---

sist. Galliae: «Sacerdos, qui a Superiore ut comes itineris vel operis adiunctus est.»

divertit, potest ad devotionem confiteri apud Confessarios domus, quamvis Superiori illius non subiacet. (Villada n. 10-11; Ram. n. 310; Oswald. n. 100.)

N. B. 1) Tunc Superior tum Confessarius domus retinent suas facultates extra domos suas respectu aut subditi aut incolae domus propriae, quem vel in itinere vel alibi divertentem reperiant. (Oswald. n. 100, 7): quippe iurisdictio est personalis, non mere localis.

2) *Dispersis* applica quae de itinerantibus dicta sunt, nisi aliter Provincialis statuat. (Villada n. 71.)

3) Certum est Nostros non posse absolvi valide nisi cum legitima licentia, nec per pagellam S. Poenitentiariae, quae illam licentiam exigit, nec per Bullam Cruciatam, nec ab externo regulari aut a confratre vi suorum privilegiorum. Obstant enim privilegia Societati concessa (Comp. Priv. nn. 126, 128, ubi etiam agitur de iubileo, in quo considerandum an derogetur privilegio nostro). Cf. Ramière n. 309 et 351 ad finem (1).

54. Facultates Confessarii Nostrorum. Quoniam Confessarius, a Superiore locali destinatus, non est Confessarius ordinarius Nostrorum, eas solum, respectu Nostrorum, fa-

(1) Cf. quae de S. Poenitent. Resp. habentur in N. B.^{bis}, ubi de Reservatis, n. 58, pag. 146 et seq.

cultates habet, quas Superior illi expresse concedat. En autem facultates, quas communiter habent, ex Comp. Privil., Confessarii ordinarii NN. 1.ª *Commutare* vota et iuramenta NN., nisi sint reservata, aut sequatur praeiudicium tertii (Comp. 110, 178). 2.º *Dispensare* NN. pro foro conscientiae singulis annis feria 2.ª post Dominicam 1.ªm quadragesimae, in omni irregularitate, nisi contracta ex homicidio, mutilatione aut bigamia. Moneantur dispensari quamdiu in Societate maneant, vel novitii vel votis ligati. Facultas autem non comprehendit neque homicidium ex industria aut per insidias, nec procurationem abortus fetus animati (Comp. n. 165). 3.ª *Commutare* infirmis, quae exequi non valent ex requisitis ad Indulgentias. Constat ex P. Assistente Hisp. communicatio concessionis. (Cf. Villada n. 20.) 4.ª *Commutare* Officium canonicum aut impeditis aut infirmis, servatis utique quae in C. nn. 117 et 118 videnda sunt circa materiam commutationis pro diversa impediti classe, etc. 5.ª *Permittere* poenitentias ex delegatione consueta Superioris, quin tamen illa praestet, quae ex Regulis Praefecti rerum spiritualium, aut ex Superioris voluntate, pertinent ad P. Spiritualem domus. 6.ª *Absolvere* Nostros, exceptis Novitiis, incolas aut hospites illius domus, itemque familiares, convictores et extraneos hospites, a qualibet censura aut peccato, quae

non sint certo reservata (c. 14, 16). Cf. dicta de exemptione (1).

Obligationes. Confessarius Nostrorum propria scire debet Instituti nostri: v. g. de delatione criminis (vide dicta ubi de correctione fraterna); casus in Societate reservatos (de his agemus infra): in genere autem, *Doceantur Confessarii* Nostrorum, ne ex pia quadam opinione, quam de Nostris habeant, venialia omnia aut levia atque extra periculum esse ducant: sed considerantes quonam tandem res istae, quae parvae videntur, evadere, quoque exitu terminari possint, nimis liberas conscientias extimulent; ruinas et praecipitia, in quae ferri imprudentes possunt, ostendant; et caetera, quae in Instructione de spiritu ad Superiores leguntur ad finem, c. 5, quod totum est de castitate: tandem cap. 4, Instruct. XIII, ubi de peccatis linguae, in qua materia, facilius quam in aliis, incidunt animae religiosae in culpam gravem, prae oculis habendum est. Nimirum qui Nostros confitetur, non secus ac quivis Confessarius, quadruplici officio fungitur. Adde quae sub n. 61 dicentur de sacra NN. ordinatione, quaeque habentur de NN. puritate sub nn. 19 et 21.

---

(1) De potestate ad reservata dicitur n. 57.

DE CASIBUS RESERVATIS

55. De Reservatione. (N. 570, etc.)

An ignorantia excuset a reservato, et quinam reservare possint in Soc., quosque casus reservaverit.

Circa *ignorantiam,* quamquam certum sit ap. Lugo (Disput. 26, n. 9) ex praxi omnium Religionum illam non impedire reservationem, praestat adhuc id roborare ex iis, quae Genicot tum pro Saecularibus tum pro Regularibus tradit: Practice, ait n. 345, sententia posterior (apud ipsum est negans) servanda videtur, neque absolvendi sunt qui peccatum reservatum inscii reservationis admisere, nisi specialis facultas obtenta fuerit. Nam, ut recte advertunt Palm. (Ball. P. in nota ad n. 732) et Lehmk. (II, n. 407), ii certe absolvi nequeunt, si Episcopi reservationem ita promulgant, ut satis pateat eos velle ut etiam ignorantes afficiat(1). Iam vero hanc esse eorum mentem praesumendum est, eo quod sententia S. Alphonsi communiter et passim tenetur. Altera tamen sententia in praxim deduci posset, si aliam esse Episcopi mentem pateret...» Ita de saecularis-

(1) Id ab ipso Ballerini admittitur.

bus, quamvis admitteret Confessarius theoretice opinionem affirmantem: addit tamen: «Certe in Ordinibus religiosis ob praxim, quam testatur Lugo (D. 20, n. 9) eique conformem Praelatorum mentem, absolvi nequeunt cum simplici iurisdictione, qui reservationis ignari peccatum reservatum admisere», quod intelligo, ut notat Gury-F., de reservatis in proprio ordine: nam de papalibus perinde, circa hoc, se habent religiosi ac saeculares. Equidem per multos annos audivi quotannis legere ad publicam mensam casus in Soc. reservatos: postea, in nova libri ad triclinium editione suppressi, ab omnibus, qui Confessarii Nostrorum non sint, generatim ignorantur. An ideo censendi sunt Superiores velle ut a simplici confessario detur reservatorum absolutio? Nonne illa potius suppressione significatur, perinde esse si ignorentur ac si sciantur?

Circa reservantem. Ex dictis super exemptione, qui illa gaudent, non subiacent reservationi Episcopali: subiacent quidem Papali; item, si Societatis filii sunt, factae sive a Generali cum gener. Congregationis consensu, sive a Provinciali, pro sua solum Provincia, cum Congr. provincialis consensu. (Ex dec. Clementis VIII in Ord. c. V, n. 3.) Consule decr. 24 Cong. gen. XX.

Superiores per se, post decr. Clementis VIII, reservare nequeunt; tamen determinare pos-

sunt pro quibusdam peccatis poenitentias graves a Confessariis imponendas. Villada n. 33, 34; Ramière n. 340; Bucc. Comm. 1 n. 16.

56. QUINAM CASUS IN SOC. RESERVANTUR.

1.° Papales, qui ex Theol. Mor. discendi sunt. 2.° Clementini, undecim, prout ibidem leguntur (v. g. ap. Gury-F. n. 573 ad 6.um Quaesitum): nempe eos omnes admisit pro Societate Congr. Gen. V decr. 51. 3.° Alii undecim, quos eadem Congr. addidit. Cf. Ordin. PP. GG. c. V. Itaque, aliquid de Clementinis notabimus, dein de casibus in Soc. additis. Cf. Villada, n. 80 et seqq.; Ramière n. 341 et seq.; Oswald n. 103. etc.

De Clementinis solum notabimus casus, de quibus aliquid speciale occurrit.

2.s «Apostasia a Religione, habitu dimisso aut retento, egrediendo extra septa monasterii», ut certo incurratur requiritur animus non amplius redeundi, et egressus ultra paucos passus. Cf. Suar. De Relig. t. 8 l. 3 c. 1.

Ex privilegiis Soc. constat *apostatas* censeri etiam, qui id faciunt votis solum biennii ligati, etiam praetextu Indulti concessi aut concedendi, aut invalidae professionis, etiam si in alio regulari loco degant, nempe sine Praep. Gener. licentia, etiam in Carthusia; aut, si debite translati, ab illo alio Ordine recedant sive ad saeculum sive ad laxiorem. Tamdem

declaratum est apostatas dicendos esse qui, causis fictis aut delictis ea mente perpetratis, dimissionem extorquent. Cf. Indicem Inst. ad voces *Apostatae, Transitus.*

3.s «Nocturna et furtiva egressio e monasterio seu conventu, etiam non animo apostatandi facta.» Copulative sumas, sed furtiva censetur, etiam Superiore praesente, si contradicat: conventum intellige domum religiosam, non merum hospitium.

6.s «Procuratio, auxilium aut consilium abortus post animatum foetum, etiam effectu non secuto.» Ex his, quae super irregularitate ex abortu dicuntur (apud Gury-F. n. 1040. Quaer. 6.s), deduces licere pro hoc casu sententiam, quae tenebat foetum masculinum non animari ante 40 dies post conceptionem, nec foemineum ante 80.—7.s «Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii.»—Ex Resp. P. Mutii Vitelleschi officiales intelliguntur qui ex officio sigillum habent: ut Generalis, Assistentes, Provinciales, Secretarius, Admonitor, Procurator Generalis. Ramière n. 341; Villada n. 88. Ex hoc postremo constat controverti inter Nostros an reservatio restringatur ad litteras super regimine aut bonis conventus, an etiam alias complectatur. 11.s «Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.» Lectio malitiosa, quamvis

litterae non aperiantur, est reservata. Resp. P. Mutii Vitelleschi ann. 1622.

De additis a Congr. Gen. V. 1.^{s} «Periurium et falsum testimonium in iudicio vel extra.» Reservatur disiunctive; unde reservantur duo. (Villada n. 93).

2.^{s} «Furtum et usurpatio cuiuscumque rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.» Reservatur tum furtum tum usurpatio, quando tamen peccatur graviter contra votum. Cf. n. 29 et n. 30, ubi de quantitate gravi contra votum. Ex Resp.^{us} Gen.^{m}, quae de hoc casu habentur apud Ramière n. 342: a) «Huiusmodi esset peccatum eius, qui fructus suorum bonorum impenderet in augmentum illorum sine facultate requisita, aut qui ex illis fructibus summam pecuniae numeratae cumularet. b) Eum, qui tantummodo prandium foris sumeret sine venia Superioris, uti poenae sine dubio subiicerem, ita reservatione absolutionis non obligarem.»

3.^{s} «Lapsus carnis voluntarius, et quidquid est contra votum castitatis, quod in actum exteruum prodeat.» In nono ex Clementinis reservantur peccata luxuriae quae in Theol. Mor. dicuntur consummata, fornicatio, pollutio, etc.; sed in Societate reservatur quilibet actus castitati graviter contrarius in persona non coniugata, quando talis actus habet materiam

externe mortalem, sive de se, uti osculum stricte impudicum, sive ex circunstantia, quae indicet graviter malam voluntatem: v. g. aspectus, lectio, locutio, quae de se non pertingerent ad malitiam externe mortalem, fiant autem ex adiunctis externe mortalia. Vide apud Ramière n. 343 varia PP. Gen. responsa, unde haec plenius constant.

Non solum pollutio, quamvis secreta, sed etiam distillatio, si actu voluntario sit, reservatur: ast «non reservatur simplex commotio spirituum, quamvis ex interna culpabili delectatione forte fiat, et intendatur». Ita La Croix ex Revisoribus Romanis (l. 6 n. 1672). Ramière n. 343, 6.° Videtur non reservari, v. g. pollutio actu involuntaria, etsi voluntaria in causa, quae non sit reservata, v. g. in delectatione morosa praeterita.

4.° «Inobedientia expressa, qua quis asserit: se nolle parere». Non omnis inobedientia mortalis reservatur: quomodo autem casus reservatus declaratur a PP. GG., dictum habes ubi de peccato contra votum obedientiae.

5.° «Seditio in Superiorem, et divisio a capite in grave nocumentum Societatis.» Seditionem hanc committit, qui Nostros commovet, ne Superiorem agnoscant aut iussis illius obtemperent. A capite se dividit, qui ab obedientia Generalis se sustrahit. Verum de hoc crimine agunt decr. 54 et 55 Congr.ne V.ae

6.s «Detractio famae bonaeque existimationis aliorum, et discordiarum seminatio inter fratres.» *Aliorum,* i. e. cuiuscumque personae, uti confirmant Resp. PP. GG. Facile id committi posse monet nos P. Anderledy Epist. 1 Nov. 1891 n. 18, citatis P. Claudii Indust. c. 17. —*Inter fratres:* Incurrit, qui nostrorum animos dividit in re gravi, aut externos contra Nostros; non autem probabiliter si externos dividit. Cf. Villada n. 99; Ramière n. 344. P. Piccolomini doceri vetuit quintum et sextum casum inter reservata a Congr. Gen. V. et similia, non reservari si effectus secutus non sit. (Prop. 21 inter Prop. Theol. a P. Piccolomini proscriptas.)

7.s «Impedimentum, excludens a Societate, reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave incommodum oriri possit.» In primo membro agitur de impedimento essentiali, ast in secundo de quocumque.

8.s «Acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa, si contineat haec acceptio aut missio rationem peccati mortalis.» Reservatur etsi effectus intentus non sequatur aut litterae casu pereant.

9.s «Transgressio votorum simplicium, quae Professi emittunt post professionem.» Quinque sunt, reservantur autem D. 57 Congr. V.

10.s Censurae Soc., seu peccata, quae in nostris Constitutionibus, Bullis, vel Decretis annexam habent excommunicationem.» Censura-

rum Soc. catalogus reperitur in Instituti vol. 2.° a pag. 567: quoniam autem ad publicam mensam legitur statis temporibus, hic omittitur.

11.° «Transgressio praecepti de non procurandis externorum intercessionibus.» Explicatur in Catalogo Praecept., qui legitur ad mensam.

N. B. Tum praecepta, tum censurae, tum casus reservati conservantur sine mutatione in restaurata Soc., ex Congr. 20 d. 24. Peccata non reservantur nisi manifeste (ex confessione poenitentis) sint mortalia: nec repetenda est confessio, si, data absolutione, postea Confessarius videat fuisse mortale. (Ord. VI, 8.) Reservatio, sub n. 10 posita, locum non habet, nisi censura de facto incurratur, a qua quidem ignorantia, excusat, prout in Theol. Morali traditur.

57. De potestate absolvendi a reservatis in Societate.

Ordinaria potestas communicatur generatim Superioribus Soc., aut eorum vicariis, pro suis subditis; non tamen omni Superiori eadem facultas conceditur.—En 1.°) casus, pro quibus recurrendum est ad Superiorem *mediatum,* seu Rectore maiorem; ex *papalibus* casus specialiter reservati: ex *censuris Societatis,* excommunicatio consulentis externos, sine Provincialis

venia, de sua dimissione e Societate, vel illis ad id utentis. (De Cens. c. 3, n. 10, ap. Inst. vol. 2.° pag. 571). 2.°) Casus, pro quibus recurrendum ad *Praep. Gen.:* a) Ex *papalibus* haeresis et apostasia ab Ecclesia, incursi post ingressum in Societatem (Indic. Inst. ad vocem *Reservati).* N. B. Loquentes de Privilegiis, pro quorum communicatione recurri debet ad Generalem, excepimus tres casus Papae reservatos; quorum absolutio aliunde procuranda est. b) «Ex Censuris nostris: γ) circa ambitum in electione Generalis, Assistentis, et Vicarii. β) circa impugnationem Instituti aut immutationem. γ) circa Apostasiam a Societate, prout supra explicata est, et eos, qui apostatis consilium, auxilium, favorem praestant. δ) circa appellationem, etiam ad Papam, ex correctione Societatis. (De his confer Inst. vol. 2, pag. 567 et seqq. cum Privil. Comp. ibidem citato.)»

Scholion. Superiores possunt absolvi a quovis ex confessariis ordinariis suae domus: quod si alium e suis *subditis* malint, is absolvet cum onere se praesentandi Provinciali. Vide Ordinat. c. VI n. 7, *ubi aliquid praeterea notatur* pro Provinciali et pro Socio.

Delegata potestas ad reservata solum potest haberi per Superiorem nostrum, sicut dictum est de non reservatis. (Comp. nn. 16. et 126.) (1).

(1) Frustra iam afferretur antiqua quaestio de reservatis Pa-

Nempe omnis Superior, aut eius vicarius, itemque, eo absente ad totum diem ita ut consuli nequeat, qui Minister est seu domui tunc praeest, facultatem, qua ex officio pollet in reservata, delegare etiam potest ad Nostros sibi subditos subdito Sacerdoti (Congr. 12, d. 17); imo sive Provincialis sive Superior localis potest eam delegare ad longum tempus (P. Roothaan ap. Villada n. 43), etiam externo Sacerdoti (Comp. n. 126-127); non tamen ut se absolvat, sed ut subditum, quod ex supra allatis deducitur, habesque apud Villada n. 44, ubi citat Lacroix.

Quando deleganda est potestas ad reservata.

1.° Ex decreto P. Anderledy (16 Mai 1884) quotannis in triclinio promulgatur delegatio pro reservatis, tempore Renovationis, Confessariis NN., sive ordinariis sive extraordinariis, concessa, etiam in domo, ubi nemo esset renovaturus: itemque delegatur in Exercitiis, quandocumque fiunt, ut exercitantem absolvant sive Confessarii domus, sive alius cum licentia Superioris electus.—N. B. a) Haec facultas, extenditur «ad eos solum casus, in quos potestatem habet Superior domus, non vero ad eos, qui Superioribus mediatis, reservantur». Ita habetur in litteris P. N. Fr. X. Wernz, d. 15 Ian.

---

pae, quasi ad illos opus non esset delegatio Superioris. (Villada, n. 26.)

1908, respondentis ad dubium a me propositum.

Exercitia intellige probabiliter ubicumque fiant, etiam privatim, etiam in domo aut coenobio externis (Villada n. 48), de licentia utique Superioris.

2.° Praeterea in domibus, prout declarant P. Roothaan et P. Beckx apud Ramière (n. 347), ubi non plures quam *sex* e nostris commorantur, licet id accidat ob diuturnam aliquorum absentiam; Provincialium est ex Confessariis ordinariis unum designare, qui hanc facultatem habeat, nempe habitualem ad casus in proprio Ordine reservatos; imo concedi potest ad alios, non autem ad tres illos ex Papalibus exceptos sub n. 45, nec ad tres Generali reservatos. (Comp. n. 16.)

3.° *Extra hos casus* non expedit universim dare Confessariis, etiam piis, facultatem generalem, etsi ad breve tempus; nisi per accidens aut Confessario extra modum anxio, aut ad determinatum poenitentem; Praefecto etiam Spirituali pro tribus casibus, ultra quos aut petat iterum aut mittat poenitentem ad Superiorem. Ita apud Ram. n. 351 ex Resp. PP. GG. et Assist.—Tamen Confessarii ordinarii ius aliquod habent ut, pro singulis casibus, sibi a Superiore petenti concedatur, nisi iusta causa obsit, (Comp. n. 125), prout infra exponetur. Imo in parvis domibus, i. e. ubi 4 vel 5 religio-

si morantur, ne sigillum periclitetur, conceditur, praeter facultatem, de qua supra agitur, ut Confessarius poenitentem a reservatis absolvat cum *onere* se praesentandi Provinciali, aut ei Superiori, in cuius domum forte brevi discessurus sit (decr. 22 Congr. 8. Cf. d. 77 Congr. 12).

Hoc onere, ut Nostri docent, obligatur poenitens sub gravi, illi autem satisfacit qui, cum prima datur occasio, sese personaliter praesentat aut Superiori suo aut Confessario privilegiato ad Nostros, ut medicinam recipiat, aut etiam (prout infra declaratur ex Comp. n. 125) ut rursus confiteatur reservatum (Cf. n. 58 N. B.)

N. B. 1.° Nihil immutatum, pro Nostrorum absolutione, decreto 23 Jun. 1886 cum subsequentibus declarationibus (quae apud Gury-F. n. 575 habentur); quippe Nostris Privilegiis non derogant. Unde nulla in Instituto anno 1892 mentio fit decr. illius S. Officii ann. 1886.

2.° Illud privilegiis non obstat, si quis in casu urgenti, neque habens a quo *directe* absolvatur, quamvis cum dicto onere, adiret quemvis Sacerdotem idoneum, a quo *indirecte* absolveretur a reservato, etiam Papali, accusatione non reservati facta, ut supra diximus.

3.° Quod si Superior facultate ad casum caret, tunc utatur aut privilegio cruciatae Bullae, quam subditus poenitens habet, aut licentia quam a Nuntio Apost., aut ab Episcopo loci,

aut a S. Poenitentiaria ipse gaudeat aut obtineat: valent enim hae facultates pro Nostris de Superioris licentia. (Ramière n. 351, et Comp. n. 127.)

4.° Quod pro externorum absolutione monitum est, valet etiam pro Nostrorum, nempe huiusmodi absolutionem restringi ad forum internum, et dandam in Sacramento Poenitentiae. (Bucc. Comment. 1, n. 47.)

5.° Si quis e Nostris pollet facultate ad reservata, non suspenditur ob iubilaeum anni sancti. Villada n. 61 ex Lacroix n. 1690: item ap. Gury-F., vol. 2, n. 1.077.

58. De itinerantibus et de dispersis.

Iter agentes, si diu, i. e. per unum saltem mensem, in domo Soc. morantur, possunt et debent absolvi, etiam a reservatis, tamquam ipsius domus incolae, a Superiore vel ab huius delegato. Excipe si iter sine venia arripiant, aut eo fine ut a reservatis absolvantur: tunc enim, ait P. Mutius, solum *indirecte* absolvi valent a reservatis, idque, modo peccatorum ipsos poeniteat et casus urgeat. (Villada n. 65.)

Quod si diu non morantur, directe quidem ab illo absolvi queunt a reservatis, apud quem licet illis confiteri (de quo in n. 54 actum est); sed cum onere se Superiori suo sistendi, ad quem ituri vel redituri sunt, eique, aut alteri de eius licentia, confiteantur. (Ordin. c. 6,

n. 6.) Quare qui, ita absolutus, nollet postea comparere, mortaliter peccaret, nec posset absolvi, si onus adimplere renuit, aut dispensatio ab onere non datur.

N. B. 1.° Disputant certe AA. Nostri quomodo intelligi debeat onus se sistendi, de quo loquitur Ordinatio: an sufficiat rem Superiori manifestare ut remedium ab eo accipiatur; an opus sit iterata *reservatorum sacramentalis* confessio, ita ut aperiantur numerus certus et circunstantiae necessariae. Lugo affirmat postremum, Dicastillo et Gobat negant; ut videre licet apud Oswald n. 108, aut Villada n. 67. Illud certum est, quod recenter additur in Comp. n. 125, nempe, post verba supra allata Ordinationis, sic pergit: «A quo onere rursus confitendi reservata potest eos Superior absolvere»; quibus praeterea verbis, nisi fallor, certa iam evasit sententia Lugonis: confessio enim, primo facta, fuit sine dubio sacramentalis. quid ergo sibi vult *rursus* confiteantur, nisi iterare quod antea fecerunt, i.e. confessionem sacramentalem?

2.° Nostris, etsi concedatur expresse confiteri apud extraneum, non ideo videtur concessa facultas a Superioribus, ut a reservatis sine onere absolvantur. Id certe praesumitur, si illa facultas detur ad annua Exercitia, aut si ex adiunctis aliis concessio intelligatur extendi ad reservata. (Villada n. 70.)

Dispersi, si Superiorem in illa sui conditione habent, ab eo in his quoque dependent; sin autem, vere itinerantes habendi sunt. (Villada n. 71.)

N. B.[bis] Data opera omisi in tractatione de casibus reservatis Responsa S. Poenitentiariae (d. 14 Mai 1902; Act. S. S. t. XXXV, pag. 369), quia existimo per ea non derogari praescriptiones ac privilegia Societatis Iesu.

Etenim Gregorius XIII (Const. *Decet Romanum Pontificem)* insigne Societati Iesu concessit privilegium his verbis: «Ne quis autem Apostolicorum Indultorum praetextu regularem ac exemplarem Instituti praedictae Societatis disciplinam, quam modis omnibus retineri et conservari volumus, dissolvere aut relaxare praesumat, non esse nec fore unquam mentis Nostrae aut Sedis Apostolicae, ut personae Societatis, absque expressa Superiorum eiusdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quae, in Iubilaeis, bullis cruciatae, *confessionalibus,* aut aliis quibusvis apostolicis indultis, sive communitatibus, sive personis privatis, sive piis locis, aut quomodocumque aliter hactenus concessae sunt aut in posterum concedentur, etiam si in illis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, huiusmodi facultatibus uti possint; si quando autem usus *aliquarum* ex praefatis facultatibus personis de dicta Societate ab eisdem So-

cietatis Superioribus concedetur, ut nulli earum liceat nisi intra numerum... eorum, qui ad confessiones personarum eiusdem domus aut Collegii audiendas deputati sunt, nisi ratione itineris aut alia de causa... confitendi facultas *ad id specialiter* daretur; apostolica auctoritate... ordinamus, secusque facta irrita et inania fore decernimus.»

Constat igitur invalide quemque ex Nostris absolvi a reservatis sine Superioris regularis sui licentia, vi facultatum externarum aut *cuiusvis* etiam Indulti Apostolici, itemque posse a Superiore religioso nostro *limitari* facultatem, ut detur ad confitendum, sed non ad reservata, ad talia reservata, etc.

Ergo, quando postea Benedictus XIV (1), dicit standum esse *tenori* Indultorum; ita intelliges ut Societas in Indulto non includatur, quamvis expresse dicat includi *quoscis Regulares, etiam Mendicantes*.—Tractat de hoc Societatis privilegio Cardin. noster Lugo (De Poenitent. Disp. 20) per totam sect. 9, aitque in n. 186, derogari utique quandoque transeunter tempore Iubilaei, nempe si «in Bulla revocantur expresse pro illa vice statuta et indulta, etiam illa, quibus statutum est a sede Apostolica, ut per bullas aut iubilaeum non possit dari absolutio sine speciali mentione

(1) In Comp. Privil. n. 126.

illius prohibitionis», tunc affert verba in Iubilaeo, quo privilegium Societatis pro illa vice derogatur.

Sed quoniam nihil huiusmodi invenitur in facultatibus Poenitentiariae, quamvis hae darentur expressa Papae approbatione, ideo per illas facultates nihil fit contra privilegium Societatis. En quid apud Ramière responderit P. N. Beckx: «Erronea autem est, et Constitutioni Greg. XIII, *Decet Romanum Pontificem,* aperte contraria opinio eorum, qui sibi persuaderent, virtute facultatum a S. Poenitent. traditarum posse aliquem e Nostris absolvi ab eo, qui a Societatis Superioribus iurisdictionem non accepisset (c. Prov. Taur. 1868). Cf. P. Villada n. 70.» Ita P. Ramière n. 309.

Iam vero, in citato supra S. Poenitentiariae Responso in primis nihil novi pro Societate decernitur, sed simpliciter generale responsum cuidam morale datur. Sed, dices, S. Poenitentiaria supponit Superiorem *cuiuscumque* Ordinis non posse, data venia apud aliquem Sacerdotem confitendi, impedire ne hic utatur omnibus facultatibus, quas forte a S. Poenitentiaria habeat. Utique perspicuum est ita sentire S. Poenitentiariam; sed non videtur constare idem sentire de Superiore regulari *Societatis Iesu.* Si enim, ut derogetur nostrum privilegium, non satis est, ex dictis, derogari pro omnibus Regularibus, imo etiam

Mendicantibus; neque sufficiet supponi derogatum pro quovis regulari, ut supponatur derogatum pro regulari Societatis Iesu: ergo ex eo quod S. Poenitentiaria sentiat a Superiore *cuiuscis Ordinis* non posse impediri, data venia ad Confessionem, usum ad reservata, non ideo idem sentire dicenda est de Superiore nostro Societatis. Nec praeterea credendum est a P. N. Beckx habitam fuisse erroneam opinionem, quam nunc suam S. Poenitentiaria faceret.

Certe Clemens X in Const. *Superna,* cum voluit declarare nec a Nostris posse absolvi casus Episcopo reservatos sine Episcopi illius venia, dixit: «Ex facultatibus per *Mare Magnum,* aliave privilegia Regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti, Societatis, *etiam Iesu,* concessis etc.: similiter dictum nuper est cum pro Italia ablatum est, Societati etiam, privilegium ne ante Ordines sacros examen coram Ordinario subiremus. Nempe dicitur: «sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissimo, et individua mentione digno...» Motu proprio 19 Mart. 1906, Pius PP. X. (Act. S. S. t. 39, pag. 94.)—Ergo nihil obstat Societatis privilegio S. Poenitentiariae Responsum.

De Novitiis et de Patribus tertiae Probationis. Ex dictis supra, tum de exemptionis privilegio, tum de Confessario Novitiorum, fa-

cile deduces Novitios nostros reservatis ab Episcopo non subiici, subiici autem reservatis in Soc.: quod a PP. GG. constanter declaratur, quicquid de aliis Novitiis disputetur. Itaque Magistro Novitiorum datur (Reg. 7) ordinaria facultas ut eos a reservatis absolvat, nisi aliter Superiori videretur; Superior etiam potest per se aut per alium.—An Magister valeat suam facultatem delegare, non constat. Negant, nisi Rector simul sit, P. Villada n. 73 et Ramière n. 68, allegata paritate cum Instructore 3.ae Prob., cui id negatum constat; verum an illa paritas subsistit? Magister designat confessarios extraordinarios Novitiis, et eorum confessarius manet, licet Rector sit: Novitii rursus alium adire nequeunt: sed aliter dicendum est de Instructore et de Tertianis. Adde quod non semper liceat arguere a paritate.

Instructor gaudet quidem facultate ad reservata erga Tertianos, ast nequit eam delegare, nisi Rector sit. (Ramière n. 200.)

N. B. 1.° Quae de itinerantibus dicta sunt, valent in itinere pro Novitiis et pro Tertianis.

2.° Illi, vulgo candidati, qui nobiscum vivunt antequam 1.am Probationem ineant, familiaribus accensentur. Quare, si absolvuntur facultate a solo Episcopo accepta, nequeunt a reservatis synodalibus absolvi per Confessarium simplicem; sin absolvuntur facultate a

Superiore nostro accepta, possunt a synodalibus absolvi. A reservatis per Soc. possunt a quovis Confessario; denique a Papalibus a Confessario, qui a Superiore, sive aliunde, ad hos casus gaudeat privilegio. (Cf. Lemhk. n. 403.)

59. QUID FACIENDUM SI QUIS E NOSTRIS RESERVATUM AFFERT.—Primum omnium dispiciat Confessarius an in praxi peccatum reservetur; forte enim defuit plena deliberatio ad mortale necessaria, aut, si de censura agitur, contumacia, prout a S. Lig. aliisque DD. explicatur. Iam, si certo est reservatum, perpendendum est an poenitens mitti ad Superiorem debeat. Nempe, si ex eo, quod casum Superior ignorat, times prudenter scandalum aut damnum sive poenitentis, sive tertii, sive communc, v. g. Collegii, Societatis; tunc debes mittere poenitentem ad Superiorem; aut exigere ab illo veniam, ut tu remedium ex Superiore quaeras, salvo semper sigillo, ut oportet. Quod si neutri ex his poenitens consentit, absolutionis capax non esset. (Ordin. c. 6, n. 2.)

N. B. Caeterum, quia propter multas et maximas utilitates, non modo in casibus reservatis, sed etiam in aliis, quae non reservata sunt, et interdum nec etiam mortalia, ut sunt peccandi pericula; diuturnae tentationes et huiusmodi, valde expedit, et poenitenti mi-

rum in modum utile est, si sincere cor suum Superiori aperiat; non praetermittat Confessarius in huiusmodi casibus, prudenter eas utilitates poenitenti suggerendo, illum hortari, ut Superiorem adeat. Quod si suaviter obtinere nequeat, non erit tandem poenitens nimis urgendus; nisi alioqui casus esset ex iis, in quibus, ut dictum est, teneretur poenitens rem manifestare, et alioqui non esset capax absolutionis. Ita Ordin. c. 6 n. 9. Igitur, si poenitenti non suadetur Superiorem adire, aliunde autem non opus sit ut remedium a Superiore praestetur; Confessarius, si facultate pollet, absolvat, iniunctis iniungendis: si non pollet, petat eam a Superiore, nisi poenitens velit adire Confessarium in domo illa privilegiatum.

Iniunctis, dixi, iniungendis, non solum ut animae poenitentis provideatur, verum etiam ut damnum futurum evitetur. Certe, sive casus reservatus occurrat sive non, attendere debet Confessarius ad ea, quae circa correctionem fraternam et delationem paternam traduntur pro Collegio vel communitate, speciatim vero ad ea, quae pro Societatis filiis notavimus n. 8; inde enim intelliges quando haec obligatio urgenda sub gravi. Nimirum non semper ac poenitens complicem habuit, mittendus est ad Superiorem, nec omnis omnino complex denuntiandus; sed socius, sive sit

sive non sit complex, *nocivus*. Puta enim lapsum carnis. etiam cum complice, dudum semel habitum. quin aut damnum aut relapsus timeatur: finge complicem a tuo poenitente nonnisi aegerrime seductum; unde. quaeso, probabis aut tales complices esse denuntiandos. aut tuum poenitentem, si omnino resipuit, a se ipso denunciandum?

In Ordin. c. 6, ubi agitur de reservatorum absolutione, nihil dicitur de complice manifestando, sed de damno futuro praecavendo; sed neque c. 15 agit de manifestatione proprii complicis, sed de delicto alieno, quod forte cum complice patretur. Ergo complex, sive proprius sive alienus, tunc erit manifestandus, cum opus sit causa damni evitandi aut remedii apponendi, nec aliter Oswald aut Ramière docent. Vide dicta n. 8.

N. B. 1.° Etiam post absolutionem, debita facultate impertitam, restat in poenitente obligatio detegendi sese integre Superiori aut eius vicario in ratione conscientiae; ad cuius obligationis adimpletionem, quamvis ex Regula solum, efficaciter movendus est poenitens.

2.° Si poenitens itineratur, nec saltem per mensem domi, cuius est confessarius aut Superior, versetur; debet ei imponi, prout diximus supra, onus sese sistendi suo Superiori.

Dicendum modo quid confessario agendum, quid Superiori, cum venia petitur ad reserva-

tum casum; atqui haec ex ipsarum Ordin. c. 6 depromimus. 1.° Superior sit facilis in facultate danda, quam si absque gravi causa negat, mortali se peccato foedari potest. 2.° Causa negandi iusta ex supra dictis colliges quaenam sit, nempe prudens timor scandali aut damni ex eo, quod reus Superiori se non sistet. 3.° Verum neque tunc Superiori licet curiose inquirere aut quid facere unde coniiciat reum, nec confessario licet talia superiori detegere. Certe peccati species per se manifestanda est Superiori; verum si periclitatur sigillum, satis erit dicere: aliquem in casum reservatum incidisse, nec timeri, si ita est, damnum ex concessione facultatis. Itaque sigilli puritati et integritati per omnia consulant. 4.° Quod si, ita cognito peccato, Superiori videtur neganda facultas, Confessario autem concedenda, ambo inter se conferant de remedio inveniendo; quod si nullum praeterea reperiant, Superior dare tenetur facultatem. 5.° Si petens non sit confessarius ordinarius aut alius similiter dignus, reusque nolit adire Superiorem; expediet ut is vicarium designet in casu, doctum, prudentem et caritate plenum.

Hactenus ex cit. Ordin.; sed in Comp. n. 125 constat, si ordinario NN. confessario, facultatem ad casum reservatum petenti, recusetur a Superiore, posse talem confessarium, qui iniuste censeat denegari licentiam, *illa vice* poe-

nitentem illum absolvere: ita Urbanus VIII concedit decreto S. Congr. Conc. 21 Sept. 1624.

Si quaeris an id liceat *semel* tantummodo, an *toties quoties* occurrat casus iniustae denegationis?

Respondeo cum Villada n. 56, Oswald n. 106, 4.°, Ramière n. 305, et auctoribus, quos ipsi citant, licere, probabiliter et practice, toties quoties.

Caeterum confessarii erit videre coram Deo ne nimium proprio iudicio fidat, et ut remedium vere adhibeat, et damnum futurum vitet. (Cfr. dicta ad nn. 18 et 54.)

Tandem post petitionem licentiae cavendum est ne sigillum laedatur, si forte a Superiore statim deprehendaris cum tali poenitente. Hunc itaque dispositum habeas et praemonitum ut id prudenter caveat. Quod si absolutio urget, v. g. ad Communionem, en modum quo potest res componi: accedat ille ad te in quovis loco dicens: Accuso me de antea tibi expositis: tu vero ad illum, omisso crucis signo, verba absolutionis essentialia proferas (Villada n. 52).

N. B. 1.° In illis verbis: «Petitur facultas pro aliquo ut absolvi possit a reservatis», nostri Doctores intelligunt, quoad Societatem, dari ut alius a petente, non ut petens absolvatur ab alio (Villada n. 60). 2.° Si petitur «ut

absolvam vel absolvar hac vice», sensu obvio facultas datur solum pro iam patratis; si petitur ut semel vel una vice, potest, nisi aliud constet, extendi ad ea, quae ante exercitium facultatis patrentur, etiam ex confidentia gratiae obtentae; quae in utroque casu, nisi aliud obstet, perseverat, etiamsi Superior concedens amotus sit ab officio aut ab hoc mundo, quandiu non data est illa absolutio.

60. De Sollicitante denuntiando. (N. 590...)

Ex dictis n. 48 in exemptione Societati concessa non includitur causa Sacerdotis sollicitantis: unde, si quem e Nostris Sacerdotem, quod Deus avertat, hoc crimine scias irretitum, denuntiari debet ad Congregationem S. Officii aut ad Episcopum loci, similiter ac si foret Sacerdos saecularis.

Id teneris exigere a poenitente, qui alienam sollicitationem tibi manifestat; id ipse praestare, si crimen extra sigillum confessionis aut secretum consilii certo nosti. Sed quaeri potest an praeterea curandum tibi sit, ut Superior illius religiosi de re quantocius moneatur.

Utique, sive per ipsum, a quo crimen novisti, sive per temetipsum, salva semper sigilli aut secreti obligatione. Ratio est quia, quamvis Superior nihil valeat in hac causa *juridice* facere, potest tamen *oeconomice*, ut offensas Dei

impediat, bono animarum consulat, et famae sive denuntiandi sive Societatis ipsius. Idem tene de crimine haeresis, aut alio ad S.^m Officium spectante. (Cf. Comp. n. 87.) De denuntiatione iudiciali consuli potest S. Lig. l. 4, a numero 248, aut Lehmkuhl vol. 1, n. 812 et seq.

61. De Sacra NN. Ordinatione. (N. 709.) De Nostrorum ad Ordines promotione exstant Ordinationum c. VII, Instruct. 1.^a n. 1, et 3.^a n. 1: duaeque P. Thyrsi epistolae: quae ut accurate observentur, gravissime monet A. R. P. Martin, sive 12 Dec. 1894, sive 24 Aprilis 1904, iubens ut haec postrema epistola semper in consultatione praelegatur super ordinandis. Id iterum urget P. N. Wernz in epistola encyclica 18 Jan. 1908, *de cavendo a Modernismi erroribus,* additque: «Curandum est (in unaquaque huismodi consultatione), ut de Ordinandorum dispositione quoad spiritum modernisticum seria fiat inquisitio.»

Ex hac postrema utile admodum erit ut pars aliqua hic ponatur, sive ipsis theologis nostris, sive eorum confessariis aut praefectis, ut illi advertant quid ab illis exigat vocatio divina ad Sacerdotium in Societate Iesu, hi praeterea quomodo suos forment, quidque aut suadere debeant aut omnino requirere, si forte ex *fictis* essent, secundum dicta ubi de obligatione ten-

dendi ad perfectionem, et de vocatione religiosa, etde obligationibus confessariorum erga Nostros; quae omnia, simulque quae modo de candidatis ad ordines sacros dicentur, mutuo sese complent. Itaque P. N. Martin, desumpta occasione ex decr. *Auctis admodum* (Cong. EE. et Reg. 1 Nov. 1892), urget, ut diximus, olim data de Nostris ordinandis decreta; ait autem: «Curandum igitur omnino est, ut in dicta Instr. l. l. c. inculcatur, ne deinceps ad sacros ordines promoveantur, qui in spiritu et religiosis virtutibus non bene profecerunt, aut in vocatione stabiles et firmi non sunt. Porro stabiles et firmi in vocatione minime censendi sunt, non solum ii, de quibus timeri potest ne postea sua sponte ab ea desciscant, sed illi quoque, qui, etsi vocationi suae addictos esse profiteantur; eiusmodi tamen animi defectus produnt, ut merito coniici possit fore ut aliquando eos, quantumvis invitos, Societas a se repellere cogatur. Tales sunt homines difficili ingenio, adeo ut ad vitam nostram se rite componere non possint, *Const.* P. I, c. II, n. 4; P. II, c. II, n. 4; vel qui notabilem in proprio sensu obdurationem ostendunt, P. I, c. III, n. 14; qui passiones vel affectus habent, qui domari non posse videantur, ib. n. 9; qui inquietos sese exhibent et verbis aut actibus offendiculum aliis praebent, P. II, c. II, n. 3; praecipue vero qui perturbatores sunt pacis domesticae,

et discordiarum seminatores; uno verbo, quicunque iis defectibus obnoxii deprehenduntur, qui in Constitutionibus indicantur tamquam impedimenta ad admissionem, vel tanquam ratio sufficiens ad dimissionem; quamvis forte nondum in eo gradu, qui eorumdem a Societate exclusionem prorsus exigeret. Qui huiusmodi sunt, nec admittendi fuissent in Societatem. At si quando admissi fuerint, eo quod non satis perspecta esset eorum indoles et perversa animi habitudo, nunquam profecto permittendum est ut ad sacros ordines evehantur, nisi prius ita corrigantur, ut de eorum perseverantia in statu religioso *spes certa* habeatur. Spes certa autem non erit, nisi quae solido nitatur fundamento: neque fundamentum solidum aliud esse potest, nisi emendatio, facto ipso et satis longi temporis experimento probata. Quare cavendum est, ut notatur in Instr. III, n. 1, ne spe futurae emendationis adhibeatur hoc medium promotionis ad sacros ordines, ad illos in spiritu iuvandos, quorum emendatio desideratur. Sane perperam omnino adhiberentur sacri ordines ut medium ad emendationem obtinendam; sed contra ementatio ipsa debet praerequiri tanquam dispositio necessaria ad sacros ordines. Illi ergo, de quorum emendatione nondum plane constat, nequaquam ad sacros ordines promovendi sunt; sed differantur, moneanturque de defectibus,

propter quos ab eo gradu suscipiendo prohibeantur. Quod si, post iteratas huiusmodi monitiones, adhuc inemendati persistant, jam non de admissione ad sacros ordines, sed de tempestiva eorum dimissione e Societate agendum erit.»

Caeterum Nostri religiosi promoveri possunt a quolibet Antistite, cum Cathedra Romana sociato (de consensu tamen Ordinarii loci, ubi fit Ordinatio), ad ordines tum minores tum maiores, etiam extra tempora, atque interstitiis minime servatis; nec tenentur se subiicere examini Episcopi. Facultas porro dimittendi Nostros ad ordines, et utendi his privilegiis, communicatur Provinciali. (Comp. n. 421 et seqq.) Ex Resp. PP. GG. minime consentire debemus ut Episcopi Nostros ordinandos examinent circa mores; nec habere videntur ius examinandi circa doctrinam. (Ramière n. 429.) Ast Pius X abstulit religiosis, etiam Nostris, exemptionem ab examine apud Episcopum, idque pro Italia eiusque Insulis. (Act. S. S. vol. 39, pag. 46, 93.) De decreto S. Congr. EE. et Reg. 4 Nov. 1892 (apud Gury-F. n. 711) A. R. P. Martin mentem petiit Emi. Card. Praefecti, qui quoad Societatem declaravit: 1.° Posse Nostros promoveri ad Ordines sacros triennio post vota biennii peracto: 2.° neminem promoveri posse ad subdiaconatum, nisi per annum Theologiae operam dederit; ad diaco-

natum per biennium; ad presbyteratum per triennium: praemisso regulari studiorum curriculo. C. V. Congr. 25, D. 13, 3: D. 14, 7).

Quod insuper Pius PP. X. in Litt. Apost. *l'ascendi* ita declarat: «Volumus, inquit, probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum ponatur fundamentum.» Idque praecipit etiam Regularibus. Itemque in Motu Proprio, de examinibus ordinandorum regularium, praecipit ut examinentur etiam de Theologia dogmatica. (Act. S. S. t. 39, pag. 94; t. 40, pag. 640).

Ex Epit. p. 2, n. 79 Ordines minores post biennium Novitiis conferri solent, licet nihil de his in Iure nostro praescribatur. Utrum vero vi nostrorum privil., prout supra, possint Nostri ordinari, etiam ordinibus sacris, diebus, qui nec sunt nec fuerunt de praecepto, non ita constat. Affirmativa opinio, quae apud P. Villada n. 161 sustinetur, videtur licita, si Episcopus facile acquiescat, data iusta causa (Cf. Lehmk. n. 605: Sabetti-Barret n. 835, quaer. 4.° et 5.°

62. De Impedimento voti. (N. 797.)

Revocare hic oportet quod n. 31 diximus, votum castitatis, sive post biennium novitiatus, sive quod serius fit a Coadi. formatis, quamvis simplex, tamen respectu matrimonii subsequentis pollere eadem vi ac solemne, es-

seque impedimentum dirimens: subsequentis, inquam, nam respectu iam existentis, sive rati, sive infidelium consummati, de quo n. 759 ap. Gury-F., nullam habet.

63. De censuris Societatis. (N. 978.)

Praeter communes omnibus Regularibus, vigent in Soc. illae, quarum catalogus exstat in Inst. vol. 2, a pag. 567, ex quibus duplex series in libro lectionis ad mensam confecta est, ut altera legatur semel saltem in anno, altera ocassione Congr. sive provincialis sive Generalis. (Videri etiam possunt ap. Ramière n. 353 et seqq.)

N. B. 1. Censurae, quae in citato Instituti catalogo non includuntur, abrogatae sunt ex decr. 15. C. G. 17: quae autem ibi leguntur, confirmatae fuere post restauratam Soc. in Congr. G. XX.—2. Quoniam excommunicatur Regularis, qui confratrem non denuntiat, etsi Superiorem, tum haereticum tum suspectum etiam leviter de haeresi; scito haberi apud Lehmk. casus, quibus ex iure fit aliquis de haeresi suspectus (vol. 1, n. 813), nunc graviter nunc leviter (vol. 2, n. 899).

64. De scriptione librorum. (N. 986.)

Nostri, praeter omnia, quae in Const. Pontificia *Officiorum* praescribuntur, observare tenentur praescripta Soc. circa scriptionem, re-

visionem et editionem. Illa reperies ex Instit. et Resp. GG. collecta apud Ramière n. 522 et seqq., item ap. Oswald n. 690: horumque praecipua ad mensam leguntur inter decreta; quare satis hic erit pauca excerpere ex Ramière.

Nemo librum ullum scribendum aut vertendum suscipiat, nisi monito et probante Provinciali. Nullum omnino scriptum a revisionis lege eximitur, ne quidem articuli periodicis foliis inserendi. Sine facultate Provincialis non edatur denuo opus. Libri, tractantes iura Soc., sunt Romae recognoscendi. Imprimendi in aliena provincia revideantur in illa ab aliquo constituto a Provinciali illius Provinciae. Nihil edatur nisi constitorit Provinciali emendata quae censorum plurium indicio corrigenda erant, non quae ab uno solo.—Nullus contractus cum bibliopolis ineatur sine expresso Provincialis consensu. Arceatur etiam species negotiationis.—Lucrum ex manuscripti aut aliquorum exemplarium venditione consignetur totum Superiori domus. Librorum alicuius momenti tria vel duo exemplaria ad Gen. mittantur (1). Moris est ut unum singulis provinciae domibus tradatur: id reperio ap. Oswald. l. c. Imo optandum est ut Provinciae sibi invicem communicent catalogum operum, quae Nostri

(1) Id urget P. N. Wernz in epist. supra citata, de cavendo Modernismo monens, ut quantocius mittantur.

edunt. Censores sint secreti tenaces, et Regulas Revisorum servent.

65. De Clausura. (N. 989, etc.)

En quae notare visum est, tum de aliena clausura a Nostris servanda, tum de nostra.

Generatim in toto hoc negotio ad praxim strictiorem potius propendere debemus. Resp. ap. Ram. n. 140. Hinc, praeter illa, quae sive ap. Gury F., sive ap. Genicot n. 600 habentur ex iure communi; a Nostris ea, quae sequuntur, tenenda sunt. 1.°, de *Aliena Clausura;* ad aegrotantium monialium confessiones audiendas monasteria ingredi Nostris non licet; tamen, urgente morbo ad mortem, si aliunde non succurritur, potest concedi. Imo nec viri aegrotantes a Nostris visitandi sunt, si intra clausuram Monialium, etiam minus stricte servatam, forte decumbunt. (Ram., n. 143, ex Resp.) Nequidem cum Episcopis, facultatem habentibus, monasteriorum septa Nostris ingredi licet, nisi ad vitandam gravissimam offensionem, Provincialis dispenset (ibid. n. 533 ad finem). 2.° *De Nostra* agitur ap. Ram. n. 137, unde haec capio: Decretum 20 Congr. Gen. 24 et praescripta P. Beckx inculcat A. R. P. Martin litt. 10 Nov. 1893, ubi sancit: 1.° In domibus probationis, Collegiis Nostrorum, maioribusque Residentiis ad religiosam vitam exactis, clausuram *ambituram esse* to-

tam domum ad iuris tramitem: 2.° in convictibus alumnorum iisque domibus, quae ad formam religiosam omnino exigi vix possunt, partem, ubi Nostri fere habitant, ita intercludendam, ut a foeminis nullo unquam tempore adiri queat; in caeteras autem partes non ingressuras foeminas, nisi comitante aliquo e Nostris, aetate ac virtute maturo.

Ex Resp. Gen.: Villae ordinarie non eriguntur in verum monasterium: attamen non permittendum colonis habitare cum suis uxoribus in his villis, ad quas nostri accedunt (1600). Insuper contra mentem Soc. est, imo et S. Sedis, ut in parvis domibus, et etiam villis, adhibeantur famulae; et potius, ex P. Anderledy ad Prov.s 24 Sept. 1891, ubi haberi non possunt Coadiutores aut famuli, domus, imo parochiae, a Nostris derelinquantur. Clausura primum esse debet quod appareat, cum sedem novam figimus, ultimum quod desinat, cum eam deserimus. Provincialis est clausuram in *dubiis,* a iure non determinatis, determinare. (Comp. n. 89.) Sacristia, ad quam ex ecclesia immediate aditur, etsi alium aditum habeat, potest extra clausuram censeri. (Genicot n. 600.) Possunt fenestrae alicuius aedificii constitui versus plateam, dummodo ex adverso non sint aedes, ex quibus in Nostrorum cubicula, et contra, prospectus sit (1604). (Cf. Clem. VIII pro Ref. Reg. 1601.) Ram. n. 138.

66. De dimissis aut eiectis. (N. 999, VI.) In explicandis censuris affertur a recentibus Theol. Mor. auctoribus suspensio imposita per decretum *Auctis Admodum,* quod S. Congr. Episc. et Reg. edidit 4 Nov. 1902. (Cf. Gury-F., l. c.; Genicot, vol. 2, n. 619.) Super quo decreto en quae notanda videntur: a) In parte decreti quae sub n. IV agit de suspensione, comprehendi alumnos Soc. Iesu declaravit Leo XIII (10 Sept. 1894), ut constat ex litt. P. N. Martin, 12 Dec. 1894. Itaque quando aliquis e Nostris votorum simplicium et in ordinibus sacris constitutus, eiicitur antequam sibi de Episcopo receptore et de patrimonio providerit; litterae dimissoriae hunc in modum concipiendae sunt: Liber quidem a votorum obligatione (excepta sacri Ordinis castitate) per nos dimissus est; subiacet tamen dispositionibus decreti *Auctis Admodum.* (Cf. Ram. n. 378.) b) Verum in *modo* dimittendi Societas non ligatur decreto *Auctis,* nec subsequentibus Emm. Praefecti litteris (1), sed solum Constitutionibus, uti docet nos Epist. P. N. Martin, 24 Apri. 1904, de Ordinandis, addens nihilominus: «Oportet nos (Super. Soc.) esse paratos Societatis causam sustinere coram

(1) In his indulgebatur pro solemniter Professis ante dimissionem annus saecularizationis (16 Aug. 1898); sed hoc iam concedi non solet, ut ex P. Vermeersch scribitur a P. Ferreres, edit. 1906.

S. Congr.»... Quamvis autem dimissio idem proprie non sit ac electio (quod notat P. Ramière in n. 365); tamen saepe alterum pro altero usurpatur, ita ut ex circumstantiis intelligenda sit vocis stricto significatio. Adde praeterea ex privilegiis Societatis: Dimissos nec Episcopi nec Societas alere tenentur.— Professo, suis culpis electo, prohibetur ne doceat, praedicet, confessiones audiat (1). Quod si temere attentaverit, potest Provincialis in ipsum promulgare excommunicationem. (Comp. nn. 161, 162, 163.—Cf. Ram. n. 377, etc.)

67. De Indulgentiis. (N. 1041 etc.)

Ex summario indulgentiarum et privilegiorum Soc. Iesu., a S. Congr. Indulgentiarum, die 2 Ian. 1886 approbato, quodque in recenti Instit. editione integrum habetur, ea, quae sequntur, deprompsi.

Parte 1.ª Nostris conceditur *Indulg. plenaria* 1.° die ingressus in Religionem—2.° die votorum post biennium—3.° in mortis articulo—4.° primam Missam celebrantibus; necnon Nostris eam audientibus—5.° qui ad terras acatholicorum mittuntur, tum quando iter parant, tum quando ad locum Missionis ingressi sunt—6.° in visitatione domus vel Collegii—7.° diebus 12 Martii, 16 Mai, 7 Aug., 27 Sept.

(1) Id praeter suspensionem sub n. V inter R. Pontifici simpliciter reservatas. (Cf. Genicot n. 619.)

N. B. In praedictorum singulis Confessio rite facta exigitur et sacra Communio: in 3.°, dum id fieri nequit, ut saltem contrite et devote, ore si potest, sin minus corde, nomen Iesu invocetur: in 6.°, ut praeterea oretur devote ad mentem S. Pontificis et pro tota Soc., domoque praesertim visitata: in 7.°, ut in templo nostro piae preces fundantur ad mentem Pont. Sum.

8.° in templo nostro lucramur indulgentias Urbis diebus Stationum (1), si pie ad mentem S. Pont. precemur; indulgentias primae primariae, si praestemus quae a sodalibus ad eas praestanda sunt: tandem ecclesiarum et piorum locorum civitatis in qua degimus, si ante S. Sacramentum precemur.

Partiales multae sunt pro litaniis communibus, et pro aliis pietatis actibus.

Privilegia circa Indulgentias Nostris concessa: 1.°, Missionarii, si forte Confessario carent, actus contritionis, quoad Indulgentias, pro confessione est. 2.°, si domus templo annexo caret, in sacello domestico Indulgentias lucramur (2). 3.°, quotiescumque propriam Iesu Crucifixi imaginem, quae semel electa, nisi amittatur, mutari nequit, ad moribundum quivis e Nostris defert; ille, si vere poenitens et confessus

---

(1) Eos habes in Missali aut in Bulla cruciata.

(2) Id iam possumus, etiamsi templum habemus (Inst. v. 1, pag. 642).

ac sacra Communione refectus, vel, dum id nequit, corde saltem contritus, nomen Iesu, ore si potest, sin minus corde, devote invocet, atque imaginem illam osculetur aut tangat, Indulgentiam plenariam habet (1); 4.°, quaslibet indulgentias animabus Purgatorii applicare possumus; 5.°, infirmi aut senio confecti, si praescripta exequi nequeunt, indulgentias lucrantur adimplendo iniuncta a confessario in eorum locum; 6.°, in templo nostro unum altare, a Superiore designandum, est privilegiatum (2); imo quodvis altare, etiam alienae ecclesiae, Sacerdoti nostro, qui pro defuncto celebrat sive sodalitii Mariani sive nostrae Soc., privilegiatum est; 7.°, possumus lucrari indulgentias aliis regularibus concessas, non quidem ob causam, quae solum in tali Ordine existat, sed «propter opera, quae ex Instituto etiam aliorum Ordinum peragenda sunt vel peragi possunt». (Comp. n. 104.)

Parte 2.ª Omnibus Christi fidelibus conceditur in solemnitatibus nostris: Indulg. plenaria: 1.°, in Circumcisione Domini aut in uno ex septem diebus ante vel post eam; 2.°, in festo SS. Cordis Iesu; 3.°, in singulis, quos modo habemus, Sanctorum Soc.; 4.°, in

(1) Id communicatur omnibus nostris, etiam laicis, de licentia, saltem praesumpta, respectivi Superioris. (Comp., n. 354.)

(2) Ubi templo caremus, designetur in Sacello domestico, 15 April. 1907.

qualibet, i. e. in unaquaque ex decem continuis Dominicis S. Ignatii de Loyola; item in una ex decem feriis sextis vel diebus dominicis, aliisve infra hebdomadam diebus immediate ante vel post festum S. Francisci Xaverii; in singulis etiam ex sex Dominicis S. Aloysii Gonzagae; 5.°, in titulari uniuscuiusque templi nostri die.

N. B. In praedictis exigitur confessio rite facta et sacra Communio, precesque piae ad mentem Rom. Pont. in templo Soc.; tamen in die S. Stanislai preces fundendae sunt in templo, ubi festum agitur; in festo autem S. Aloysii ante quodvis altare eidem dicatum. In dominicis sive S. Ignatii N. P. sive S. Aloysii vacandum praeterea est piis meditationibus aut orationibus vocalibus, aut aliis pietatis operibus in honorem eorumdem Sanctorum.

Indulgentiae partiales. Septem annorum totidemque quadragenarum in Nativitate D., Circumcisione, Epiphania, Corpore Christi, necnon in feriis sextis, in Dominicis et in quadragesimae diebus usque ad octavam Paschatis, recitando, corde saltem contrito, Pater et Ave in templo nostro, et audiendo devote, si praedicetur inibi, verbum Dei; 2.°, aliae visitantibus exuvias Sanctorum Soc. Iesu, prout in summario.

Parte 3.ª Ministeriis sacris conceditur:

Doctrinae Christianae. Indulg. plenaria:

1.°, in Nativitate et Resurrectione D. N., itemque in festo SS. Apost. Petri et Pauli, receptis pie Sacramentis et fusis ad mentem Rom. Pont. piis precibus; id datur omnibus fidelibus, qui assidue docent aut discunt doctrinam christianam: 2.°, in articulo mortis, receptis S. Sacramentis, aut, si id fieri nequit, invocato, corde contrito, nomine Iesu. Haec conceditur iis, qui doctrinam Christianam docere consueverunt, aut eidem assistere.

Partiales. 1.° Septem annorum, in singulis Virginis festis, si sacramentis pie reficiantur, iis, qui convenire solent ut discant catechismum; 2.° septem ann. cuivis magistro, qui in festis discipulos ad catechismum ducit eumque docet; item convocantibus populum ad catechismum: quod si id faciant extra civitates vicatim eundo, decem ann.; 3.°, centum dierum patribus et matribus quoties domi catechismum suis explanent.

Plures alias reperies si summarium legas, concessas tum Communioni sacrae in festis, tum Exercitiis S. P. N. Ignatii, tum Missionibus Nostris, tum denique Congregationibus; item Rosariis, etc... benedictione apostolica donatis.

N. B. Indulgentiae a Papa concessae festis, templis aut ministeriis Soc. Jesu, applicari possunt sanctis Purgatorii animabus.

68. De Congregationibus erigendis.

De his triplicem instructionem habemus; primam generalem, alteram et tertiam particulares pro Congregatione *Bonae mortis* et *B. Mariae Virginis;* haec aliquatenus differunt ab antiquis typis datis (Matriti 1885).

Primam vero generalem hic habe:

INSTRUCTIO PRO NOSTRIS

DE CONGREGATIONIBUS RITE INSTITUENDIS

De Congregationibus Beatae Mariae Virginis et Bonae Mortis erigendis et aggregandis universim.

---

1. Probe advertant nullius Congregationis aggregationem fieri posse, nisi canonica eiusdem erectio praecesserit; prius enim sit oportet, quam aggregetur. *Erectio,* autem, *canonica est actus legitimae auctoritatis ecclesiasticae sive ordinariae sive delegatae, quo Congregatio in foro ecclesiastico sive canonico primum in suo esse constituitur,* ut deinde per aggregationem seu coniunctionem cum alia Congregatione principali indulgentiarum et privilegiorum eidem concessorum particeps fiat.

2. Praepositus seu Vicarius generalis Societatis Jesu ab Apostolica Sede instructus

est facultate, non solum *aggregandi,* sed etiam *erigendi* Congregationes B. Mariae Virginis et Bonae Mortis tum intra tum extra domos et ecclesias Societatis. Ad eas quidem erectiones aggregationesque, nisi de Congregationibus in nostris ecclesiis vel domibus agatur, Ordinarii consensus antea est impetrandus. Qui consensus ne confundatur cum erectione ipsa canonica, quam supra descripsimus; eo enim Ordinarii consensu rite obtento, erigi quidem simul et aggregari Congregatio a Praeposito Generali potest, aggregari solum nequaquam, quippe quae nondum extiterit.

3. Episcopi quoque, et Vicarii eorum generales ab eis ad hoc delegati, ordinaria gaudent potestate *erigendi* in suis dioecesibus (extra Societatis domos et ecclesias) ut Congregationes ac Sodalitates quascumque, ita etiam Congregationes B. Mariae Virginis ac Bonae Mortis; indulgentias autem iisdem communicare minime possunt (1). Quare quoties de canonica erectione alicuius Congregationis Bonae Mortis vel B. Mariae Virginis, ab Episcopo seu Vicario eius generali iam facta, certo constat, aggregatio sola a Praeposito Generali erit petenda, ita tamen ut testimonium erectionis iam

(1) Missionum Episcopi, facultatibus specialibus a S. Congregatione de Prop. Fide instructi, simul cum erectione Congregationum etiam indulgentias iisdem concessas communicare possunt. Quod si fecerint, non ideo Congregationes eiusmodi ad nostras Primarias Romanas pertinere censentur.

peractae (seu eius exemplar) adiungatur litteris ad Praepositum Generalem aggregationis causa mittendis, ut in Instructionibus particularibus est explicatum. Potest tamen, ut paulo prius innuimus, obtento Ordinarii consensu, tum erectio tum aggregatio a Praeposito Generali Societatis Iesu peti, qui uno eodemque diplomate utrumque perficiet.

4. Sciant omnes, ad tollendos vitandosque abusus ab Apostolica Sede iampridem quaedam ita esse constituta, ut nisi accurate sint observata, erectiones atque aggregationes quorumcumque Confraternitatum sive Congregationum nullius sint valoris, neque fideles ullo modo indulgentiarum eisdem Sodalitatibus concessarum fiant participes. Huiusmodi sunt ea, quae fel. rec. Clemens PP. VIII in Constitutione *Quacumque,* data die 7 Decembris 1604, praescripsit et S. Indulgentiarum Congregatio Decreto dato die 8 Ianuarii 1861 iterum inculcavit magisque determinavit; ex quibus potiora in Instructione de Congregationibus Bonae Mortis rite instituendis pag. 1 litt. a-h adduximus.

5. *A praedictis statutis Clementis VIII et Sacr. Indulgentiarum Congregationis omnino exemptae sunt Congregationes B. Mariae Virginis omnes, tum quae intra, tum quae extra ecclesias et domos nostras sunt erectae et aggregatae,* ut dictum est in Instructione de iisdem

rite instituendis.—Congregationes autem Bonae Mortis statutis illis generatim sunt subiectae. Ideo, v. gr., diploma aggregationis cum indulgentiarum catalogo ante promulgationem Episcopo est praesentandum.

Attamen Leo PP. XIII benigne permisit, ut etiam plures Bonae Mortis Congregationes in eodem loco erigantur, atque diploma nostrum erectionis et aggregationis a communiter praescripto diversum retineatur.

6. Itaque cum Sacerdos aliquis, sive saecularis sive regularis, de aliqua ex his Congregationibus extra domus et ecclesias nostras instituenda agere incipit, ne unquam, neglectis omnibus, statim ei diploma aliquod a Praeposito Generali subscriptum offeratur, sed primum ei «Instructio» ad eam, de qua agitur, Congregationem instituendam tradatur, ex qua perspiciat, quibus ad erectionem impetrandam opus sit; nimirum: ut statuta Congregationis erigendae Episcopo proponat, eius consensum et commendationem impetret; ut, litteris necessariis ab ordinario obtentis, ad Praepositum Generalem Societatis scribat (vel scribere faciat aliquem e nostris), prout in Instructione praedicta latius explicatur.

7. Deponentur etiam in posterum, sicut hucusque fieri consuevit, plura diplomata ab A. R. Patre Nostro subscripta et Sigillo munita apud RR. PP. Provinciales et Superiores

Missionum; attamen Adm. Rev. P. N., Decreto S. Congregationis Indulgentiarum, dato die 3 Decembris 1892, innixus, diserte declarat, ea diplomata nullum habitura valorem, antequam ipse de Congregatione erigenda vel aggreganda eo modo, quo in Instructionibus dictum est, certior factus, expresse monuerit, diploma posse tradi iis, quorum interest; *quod quidem de Congregationibus, sive intra sive extra domus et ecclesias nostras erigendis vel aggregandis, valet*. Tum demum diplomati ea accurate inscribantur, quae paulo post indicabimus.

De Congregationibus iisdem «in domibus et ecclesiis Societatis» rite instituendis.

In iis dioecesibus, ubi domus et ecclesias habemus, Ordinarii consensus non est necessarius pro singulis nostrarum Congregationum erectionibus ibidem faciendis; satis enim provisum iam est per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione domus ibidem, secundum responsum S. Congreg. Indulg. datum die 25 Augusti 1897.

1. *Congregationes Bonae Mortis* etiam in ecclesiis Societatis subiectae sunt statutis Clementis PP. VIII et S. Congregationis Indulgentiarum supra indicatis; ideo Instructio, de hisce Congregationibus data, a nostris quoque

observari debet. Praeterea haec specialiter sunt notanda:

a) Eae quidem Congregationes semper a Praeposito Generali et eriguntur et aggregantur.

b) Statuta generalia retineantur; quodsi quid maioris momenti in eis immutandum videatur, Praepositus Generalis Societatis erit consulendus.

c) Praesidem Congregationis in ecclesiis nostris constituit Praepositus Provincialis vel Superior Missionis. Superiores autem locales in suis domibus et ecclesiis easdem facultates habent, quas ipsi earumdem Congregationum praesides, in quorum etiam locum iustis de causis alios ad tempus subdelegare poterunt. (Litt. A. R. P. Anderledy ad Provincial., d. d. 31 Aug. 1885).

2. *Congregationes B. Mariae Virginis,* in domibus et ecclesiis Societatis erigendae et aggregandae, sunt omnino exemptae a Decretis Clementis VIII etc.; iisdem tamen regulis adstringuntur, quae in Instructione de Congregationibus B. Mariae Virginis rite instituendis continentur, his tamen exceptis:

a) Eriguntur semper simulque aggreganturr a Praeposito Societatis Generali (1).

(1) In regionibus Missionum, nostraeque Societati subiectarum, Episcopus seu Vicarius Apostolicus has Congregationes canonice quidem erigere potest, si ecclesiae parochiales sunt

b) Statuta generalia, a Praepositis Generalibus Societatis iampridem approbata, integra conserventur; nova ne inducantur, nisi eidem Praeposito Generali proposita et ab eo fuerint approbata. Necesse non est, ut statuta proponantur Episcopo.

c) Praesides singularum Congregationum a Praeposito Provinciali vel Superiore Missionis constituuntur. Superiores autem locales iisdem facultatibus gaudent, quas modo (l. c.) assignavimus.

d) Quae versus finem Instructionis supradictae, sub n. 6, praesidibus commendantur, a nostris eo, quo hucusque peracta sunt, modo fiant; neque enim ibi de rebus necessariis agitur, excepta inscriptione novorum sodalium in libro Congregationis, quae semper fieri debet.

Ratio diplomatibus inscribendi.

Illa, quae pertinent ad particularem aliquam Congregationem B. Mariae Virginis vel Bonae Mortis erigendam vel aggregandam, diversa est pro casibus diversis, quos hic singillatim notamus:

1. *In diplomate Congregationis B. Mariae Virginis.*

---

vel dioecesanae; aggregatio vero a Praeposito Generali petenda est, ut eiusmodi Congregationes cum Primariis Romanis intimo nexu coniungantur.

a) Quando *Ordinarius loci* ipse extra domos et ecclesias Societatis Iesu *erectionem canonicam perfecit,* quatuor lineis vacuis haec sunt inscribenda:

Congregationem iuvenum studiosorum (vel virorum, puellarum, utriusque sexus Christifidelium etc...) sub invocatione B. Mariae Virginis Annunciatae (vel Immaculatae Conceptionis, vel...) et S. Aloisii (vel S. Iosephi vel S. Annae etc...) in... dioecesis... a Revmo. et Illmo. D. D. Episcopo N. N. die... mensis... anni... canonice erectam.

b) *Si extra domus et ecclesias Societatis Praepositus Generalis cum Ordinarii consensu erigit et aggregat:*

Congregationem... *(cetera ut supra ad* a *sed in fine, loco* a Rmo. etc., *scribatur:)* de consensu Rmi. et Illmi. D. D. Episcopi N. N. erigimus eamdemque.

c) *In domibus et ecclesiis Societatis:*

Congregationem... *(cetera ut supra ad* a, *sed in fine omittantur verba illa:)* a Rmo... canonice erectam *et dicatur solum:)* erigimus eamdemque.

2. *In diplomate Congregationis Bonae Mortis:*

a) quando *Ordinarius loci* ipse extra ecclesias Societatis *erectionem canonicam perfecit,* spatiis vacuis haec inscribantur:

In ecclesia Sancti N... loci... dioecesis... a

Rvmo. et Illmo. D. D. Episcopo N. N. die... mensis... anni... canonice erectam et pro aggregatione litteris nobis commendatam.

b) Si *Praepositus Generalis* extra Societatis ecclesias cum Ordinarii consensu *erigit et aggregat:*

In ecclesia Sancti N... loci... dioecesis... attentis Rvmi. et Illmi. D. D. Episcopi... consensu ac litteris testimonialibus, quibus eius institutum, pietas ac religio commendatur, canonice erigimus et.

c) *In ecclesiis Societatis:* in ecclesia Sancti N... loci... dioecesis... canonice erigimus et.

In fine semper scribatur: Datum Romae die... mensis... anni... prout in litteris indicatur, quibus Praepositus Generalis erectionem et aggregationem concessit.

INSTRUCTIO

DE CONGREGATIONIBUS B. MARIAE VIRGINIS RITE INSTITUENDIS

STATUTA GENERALIA

1. *De fine.* — Congregationes B. Mariae Virginis id sibi imprimis proponunt, ut in sociorum animis eximiam quandam erga B. V. Mariam devotionem excitent et foveant, quo speciali tantae Matris protectione muniti tum

vitam pie christianeque instituant, tum mortem aliquando feliciter obeant.

2. *Exercitium sodalium commune et praecipuum.* — Statuta die et hora, ut plurimum semel in hebdomada, conveniunt, ut praesidis adhortatione, lectione librorum devotorum, precibus atque canticis communibus, piis meditationibus aliisve religionis exercitiis in se devotionem erga beatissimam Virginem ac pietatem promoveant.

In eundem finem saepius, imprimis diebus B. Mariae Virgini sacris, universi simul sacra Communione se reficiant; sex dies Dominicos continuos more solito honori S. Aloysii consecrent: quotannis semel, si possunt, exercitiis spiritualibus per aliquot dies vacent.

3. *Alia opera bona sodalibus commendanda:* singulis diebus Patronam suam particularibus precibus salutent — sic in Prima Primaria sodales mane et vespere ter *Ave Maria* recitare iubentur; si commode possunt, quotidie rosarium B. Virginis vel eius officium vel aliquam saltem eorum partem persolvant; vespere conscientiae examen instituant; aliquid temporis meditandis rebus divinis vel libris piis legendis tribuant; quotidie, si possunt, sanctissimo Missae sacrificio intersint; semel saltem in mense ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedant; omnia, quae ad Ecclesiae et religionis incrementum atque defen-

sionem faciunt, sedulo promoveant; a fide vel a virtutis christianae tramite aberratos exemplo et institutione ad salutis viam reducere satagant; misericordiae operibus idque maxime erga sodales infirmos diligenter vacent; mortuos vero sodales ad sepulcrum deducant et peculiaribus precibus Deo commendent; denique non iis solum virtutibus acquirendis insistant, quibus nemo christianus carere potest, sed etiam socios suos pietate, puritate, humilitate, modestia, diligentia atque industria in status sui officiis obeundis antecellere studeant.

4. *Statuta peculiaria* (localia), si quae in Sodalitatibus alicubi videbuntur adiicienda, statutis generalibus supra recensitis sunt conformanda, quantum temporum locorumque conditiones suadebunt.

DE ERECTIONE ATQUE AGGREGATIONE

1. Praeposito seu Vicario Generali Societatis Iesu a Summis Pontificibus collata est potestas erigendi et aggregandi Congregationes B. Mariae V. tum intra tum extra domos et ecclesias ipsius Societatis, idque ita, ut in ea re statutis in Bulla Clementis PP. VIII «*Quaecumque*» et in Decreto S. Congregationis Indulgentiarum d. 8 Ianuarii 1861 minime adstringatur.

Nunquam vero Congregatio aliqua Primae Primariae aggregari potest, quae vel a S. Sede iam indulgentias obtinuerit vel alteri Archiconfraternitati sit aggregata.

2. Eae Sodalitates in omnibus ecclesiis, oratoriis, collegiis, seminariis aliisve locis piis erigi possunt «pro scholaribus aliisque Christifidelibus»: atque in singulis ecclesiis, oratoriis etc. non una tantum, sed etiam plures «pro personarum frequentia vel qualitate».

3. Omnes Sodalitates sive Congregationes, quae Primae-Primariae Romanae aggregari desiderant, aliquod B. Mariae Virg. festum vel mysterium in titulum suum assumant eamque in Patronam peculiarem sibi eligant; nihilominus etiam alius titulus secundarius sive Patronus adiungi sive retineri potest.

4. Singulis Congregationibus praesit *Sacerdos* ab Ordinario loci rite constitutus, qui in officio suo exequendo ut plurimum a magistratu quodam a sodalibus electo adiuvatur. De cuius magistratus eligendi ratione, officiis etc. consulantur precum libri, qui in usum sodalium vulgati sunt plurimi.

5. Sodalitatum, quae per diversas orbis partes eriguntur, statuta peculiaria sive localia si quae sunt, Ordinario loci, i. e. Episcopo ipsi vel Vicario generali *ad id delegato* sunt proponenda, ut ea approbet, Sodalitatem canonice erigat, aggregationem ad Primariam Ro-

manam commendet et praesidem Sodalitati erectae assignare dignetur.

Atque haec omnia huiusmodi litteris ab Episcopo peti possunt:

Revme. et Illustrissime Dñe.

N. N. motus desiderio promovendi et dilatandi devotionem erga B. Mariam Virginem humiliter petit a Te, Revme. et Illme. Dñe.: *1)* ut Congregationem (iuvenum, virorum...) sub titulo B. Mariae Virg. Annuntiatae (vel Immaculate Conceptae...) et S. Aloysii (vel S. Stanislai, Iosephi...) in... erigas, approbando simul eiusdem statuta hisce litteris inclusa; *2)* ut Rev. Dom. N. N. parochum, capellanum... (eiusque successores) constituas Congregationis praesidem; *3)* ut Congregationem ita erectam Praeposito Generali Societatis Iesu pro aggregatione ad Primarium Collegii Romani commendare velis.

6. Erectione canonica et commendatione ab Episcopo obtentis, impetrandum est a Praeposito Generali Societatis Iesu, ut ipsam Congregationem Primariae Romanae aggreget. Quod quidem in hunc fere modum fieri potest:

Adm. Rev. Pater,

Quum Revmus. Dñus. N. N. Episcopus N. Congregationem iuvenum studiosorum (vel virorum, vel...) sub titulo B. Mariae Virg. Annuntiatae (vel Immaculatae Conceptae, vel...) et S. Aloysii (vel S. Iosephi...) in ecclesia S. (vel capella S..., seminario... etc.) loci... dioecesis... canonice iam erexerit eamque pro aggregatione ad Primariam Collegii Romani Congregationem benigne commendaverit, prout documenta hisce litteris adnexa testantur (1); infrascriptus orator, eiusdem Congregationis praeses, Paternitatem tuam humiliter rogat, ut dictam Congregationem Primariae Collegii Romani Congregationi aggregare velis cum communicatione omnium indulgentiarum et gratiarum eidem concessarum.

(Revmo. P. Generali S. I., Roma via di S. Nicola da Tolentino, 8.) N. N.

Si vero Episcopus (statutis peculiaribus si quae fuerint approbatis) *Congregationis erectionem a Praeposito Generali fieri maluerit,* in litteris ad eundem dirigendis *erectio et aggregatio simul petendae sunt,* adiuncto Episcopi

(1) Adiungendum est scilicet *documentum erectionis canonicae* vel eius exemplar (copia) *simul cum commendatione Episcopi pro aggregatione perficienda.*

testimonio et commendatione.—Formula litterarum tunc erit haec:

Admod. Rev. Pater,

Quum infrascriptus orator N. N. Congregationem iuvenum (vel puellarum vel...) sub titulo Annuntiationis (vel Inmaculatae Conceptionis, vel...) beatae Mariae Virginis et S. Aloysii (vel S. Iosephi, vel...) in ecclesia S. N. (vel in capella S. N... in seminario...) loci... dioecesis... constituere desideret, Rmo. Dño. N. N. Episcopo N. statuta eiusdem peculiaria iam proposuit atque ab eo consensum et approbationem pro eiusdem erectione et aggregatione obtinuit (prout documentum hic adiunctum testatur) (1). Quare idem Orator Paternitatem tuam humiliter rogat, ut dictam Congregationem erigere erectamque Primariae Collegii Romani Congregationi aggregare velis cum communicatione omnium indulgentiarum et gratiarum eidem concessarum.

(1) Sufficit nimirum adiungere documentum, quo Episcopus consensum pro Congregatione a Praeposito Generali erigenda et commendationem pro eiusdem aggregatione testatur.

Revmo. P. Generali S. I., Roma, Via di S. Nicola da Tolentino, 8.) N. N.

DE SODALIUM COOPTATIONE

1. Litteris demum (erectionis et) aggregationis a Praeposito Generali acceptis sodales cooptari possunt.

2. Qui in Sodalitatem cooptari desiderant, ut plurimum nisi peracto aliquo probationis tempore non recipiantur. In eo quidem temporis spatio, si per Congregationis statuta localia ita provisum sit, iam ad officia sodalium communia admitti possunt; in Sodalitatis vero magistratum non eligantur.

3. Sodales, si commode fieri potest, recipiantur die aliquo B. Mariae Virgini sacro, et eo quidem ritu et pompa, quae in libris in sodalium usum vulgatis describuntur. Probe vero advertendum, formulam: Ad maiorem Dei gloriam... (vel aliam similem), qua ipsa in Sodalitatem receptio pronuntiatur, non a sodali, qui *praefecti* munere fungitur, sed a *praeside* ipso per Ordinarium constituto vel ab eius delegato legitimo esse proferendam.

Romae in Congregatione Prima-Primaria praeses, postquam fideles se formula consueta Beatissimae Virgini consecrarunt, eosdem his verbis recipit: «Ego ex auctoritate Adm. Rev. P. Praepositi Generalis Societatis Iesu vos in

Beatissimae Virginis Mariae ab Angelo salutatae Congregationem Primam-Primariam recipio atque omnium indulgentiarum participes efficio; et nunc quidem nomina vestra referantur in album Congregationis, in aeternum vero scripta sint in coelis.» Quibus dictis praeses, acceptis candelis a sodalibus ante se genuflexis, receptionis testimonia singulis tradit haec dicens: «Accipe has patentes litteras, quibus assertus es B. Mariae Virginis filius, sed tu melius moribus ac pietate te eiusdem filium exhibe. Interim, te cum prole pia benedicat Virgo Maria.» Tum eis bene precatur, quo facto a secretario eis libelli distribuuntur, quibus Sodalitatis preces et regulae continentur.

Ad tollendam omnem dubitationem monemus, in solemni receptionis ritu non omnia esse plane necessaria, immo stricte loquendo sufficere ut certa voluntas tum eius, qui recipitur, tum eius, qui illum recipit, signo aliquo externo sit manifestata. Praeterea *inscriptio nominis* novi sodalis in librum Congregationis *omnino requiritur*.

4 Sodales ut plurimum a praeside ipso per Episcopum constituto recipiantur. Attamen rec. m. Leo PP. XIII Rescripto S. Congregationis Indulg. d. d. 23 Iunii 1885, praemissa sanatione omnium adscriptionum cum quolibet defectu peractarum, omnibus harum Congregationum praesidibus benigne permisit,

ut ex rationabili causa alium sibi sacerdotem (qui v. g. maioris solemnitatis causa invitetur) substituere possint ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata et alia praesidum munia exercenda.

Quominus absentes in Sodalitatem cooptentur, Decretis S. Congregationis Indulgentiarum d. d. 13 Aprilis 1878 et 26 Novembris 1880 generatim prohibetur; conceditur tamen Congregationum moderatoribus eorumque delegatis ut in casibus singularibus dispensare possint a statuta forma inter praesentes, ac absentes etiam per singularem seu extraordinariam exceptionem rite adscribere.

5. Ut erectio et aggregatio gratis omnino nulla mercede exacta praestantur, ita pro inscribendis quoque sodalibus per se nihil exigi potest praeter ea, quae secundum statuta illius loci approbante Episcopo in expensas pro foliis vel libellis inscriptionis, ornamentis oratorii, etc. deputantur. (Vide Instr. de Congr. *Bonae Mortis,* I, pag. 193, litt. g.)

6 *Praesidibus* singularum Congregationum plurimum commendatur:

a) Ut testimonia receptionis typis imprimi curent, quibus in altera folii parte brevis indulgentiarum elenchus, statuta Congregationis et ordo officiorum adiungantur, ad quae sodales singulis vel alternis hebdomadis conveniunt:

b) Ut librum, qui «Congregationis liber» dicatur, provideant, in eoque describantur: 1, primo loco litterae approbationis ac consensus Episcopi; 2, diploma erectionis et aggregationis seu eius breve compendium; 3, statuta Congregationis; 4, nomina singulorum sodalium addito die, quo quisque in Congregationem est cooptatus; 5, decisiones graviores ipsius magistratus atque insigniores Sodalitatis eventus.

QUAEDAM A S. INDULGENTIARUM CONGREGATIONE DECRETA

1. In iis regionibus ubi conventus Sodalium hebdomadarii diebus ferialibus utilius habentur, in quibus tamen Sodales, quominus ad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae accedant, laboribus impediuntur, vel ubi alia rationabilis causa obtinet; ad eam indulgentiam lucrandam sufficit ut Sodales aliquo intra hebdomadam die—praecedenti vel eodem die peccata confessi—ad S. Communionem accedant atque in capella Sodalitatis preces praescriptas persolvant. (Leo XII Rescript. S. C. Indulg. 27 Aprilis 1887.)

2. Quod attinet ad praedictas pias preces effundendas, non requiruntur preces speciales praeter illas, quae a Sodalibus una simul recitari solent in conventibus hebdomadariis,

dummodo communes illae preces intentione ad mentem Summi Pontificis dirigantur.

3. Indulgentiae conventibus hebdomadariis concessae non ita sunt intelligendae ut, si conventus non qualibet hebdomada, sed quolibet quarto decimo tantum die vel bis in mense habeantur, eo ipso indulgentiis careant. (Leo XIII Rescript. S. C. Indulg. 29 Iulii [26 Aug.] 1893.)

INSTRUCTIO

DE CONGREGATIONIBUS BONAE MORTIS RITE INSTITUENDIS

STATUTA QUAEDAM GENERALIA

1. *Finis* huius Congregationis in eo situs est, ut fideles ad mortem quam felicissime obeundam rite disponantur per iugem passionis Christi memoriam eiusque publice privatimque recolendae studium, ac imprimis per vitam recte christianeque institutam.

2. *Exercitia communia.* Sodales conveniunt vespere in ecclesiam Congregationis singulis feriis sextis vel diebus Dominicis, vel saltem semel vel bis in mense, atque exposito SS. Sacramento, concione vel instructione vel meditatione de sacratissima passione Domini nostri vel de doloribus beatissimae Virginis sive de quatuor novissimis excitantur ad dis-

ponendos seipsos ad mortem pie obeundam atque vitam suam recte instituendam. In eundem finem preces fundunt communes, in quibus memores sunt sociorum tam morbis afflictorum, quam vita defunctorum.

3. *Bona opera sociis valde commendanda* haec fere sunt: ut frequenter sacramentis utantur, maxime diebus quibus ad exercitia communia Congregationis in ecclesiam conveniunt;—ut semel in mense vel saltem aliquoties in anno diem (maxime illum, qui ab ipsa Sodalitate ad id est deputatus) integrum in eo consumant, ut se ad mortem pie obeundam disponant;—ut etiam diebus ferialibus ss. Missae sacrificio devote assistant;—ut opera misericordiae exerceant, infirmos invisant, atque procurent, ut mature ultimis sacramentis recreentur; ut mortuos pie ad sepulcrum deducant, pro eis orent;—ut poenitentiae operibus Christo patienti et Matri dolorosae se conforment;—ut precibus se invicem ad mortem pie obeundam adiuvent.

RATIO ERECTIONIS ET AGGREGATIONIS

1. Huiusmodi Congregationes in omni ecclesia pro omnibus utriusque sexus fidelibus institui possunt.

2. In erigendis atque aggregandis his Congregationibus diligenter ea observari debent,

quae hac de re per fel. rec. Clementem PP. VIII in Constitutione «*Quaecumque*» d. d. 7 Decembris 1604 praescripta atque Decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum d. d. 8 Januarii 1861 accuratius sunt hoc modo determinata:

a) Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium, quam regularium;

b) Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem;

c) Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini (Archiconfraternitati) instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet;

d) Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint;

e) Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii duntaxat promulgentur;

f) Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget secundum formam per Ordinarium praescribendam;

g) Quod litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae

eleemosynae accepta expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, secretarii notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum (vulgo *francs*) triginta pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione, recipere liceat;

h) Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum, quae obtinent, atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam Romano Pontifice remitti non possit.

N. B. Leo PP. XIII rescriptis S. Congregationis Indulgentiarum d. d. 16 Sept. 1882 et 21 Mart. 1885 benigne permisit, ut etiam plures Bonae Mortis Congregationes in eodem loco erigantur, atque diploma nostrum erectionis et aggregationis a communiter praescripto diversum retineatur.

3. Congregationum, quae per diversas orbis partes eriguntur, statuta peculiaria sive

localia, si quae alicubi adiicienda videantur, originalibus statutis supra recensitis sunt conformanda, quantum temporum locorumque conditiones suadebunt.

Quae quidem statuta Ordinario loci, i. e. Episcopo ipsi vel Vicario generali *ad id delegato* sunt proponenda ut ea approbet, Congregationem canonice erigat eiusque aggregationem ad Primariam Romanam commendare et praesidem Congregationi erectae assignare dignetur.

Haec omnia litteris sequentis tenoris ab Episcopo peti poterunt:

N. N. quo efficacius fideles sibi commissos impellat, ut se per vitam rite institutam ad mortem pie beateque obeundam disponant, humiliter petit a Te, Revme. et Illme. Dñe., ut Congregationem D. N. Iesu Christi in Cruce morientis ac beatissimae Virginis Mariae eius Genitricis perdolentis, vulgo Bonae Mortis nuncupatam, in ecclesia S..... loci..... canonice erigas, approbando simul eiusdem statuta hisce litteris adnexa; deinde ut Rev. D.... (parochum, capellanum.....) eiusque pro tempore successorem constituas Congregationis praesidem; tandem ut Congregationem ita erectam Praeposito Generali Societatis Iesu pro aggregatione ad Congregationem Primariam Romae in ecclesia sanctissimi Nominis Jesu institutam commendare velis.

4. Erectione canonica et commendatione ab Episcopo obtentis, impetrandum est a Praeposito Generali Societatis Iesu, ut ipsam Congregationem Primariae Romanae aggreget. Quod hoc fere modo peragi potest:

Adm. Rev. Pater,

Quum Revmus. Dñus..... Episcopus..... Congregationem sub invocatione D. N. Iesu Christi in Cruce morientis ac beatissimae Virginis Mariae eius Genitricis perdolentis, vulgo Bonae Mortis nuncupatam, in ecclesia S..... loci..... dioecesis praedictae canonice iam erexerit eamque pro aggregatione ad Primariam Romae in ecclesia sanctissimi Nominis Jesu constitutam benigne commendaverit, quemadmodum documenta hic adnexa testantur (1), infrascriptus orator, eiusdem Congregationis praeses, Paternitatem tuam humiliter rogat, ut dictam Congregationem Primariae Bonae Mortis Congregationi in ecclesia sanctissimi Nominis Iesu Romae constitutae aggregare velis cum communicatione omnium indulgentiarum et gratiarum eidem concessarum.

N. N.

(1) Adiungendum scilicet est *documentum erectionis canonicae* vel ejus exemplar (copia) *simul cum commendatione Episcopi pro aggregatione* a Revmo. P. Generali peragenda.

(*Revmo. P. Generali S. I., Roma, Via di S. Nicola da Tolentino, 8.*)

5. Si autem Episcopus sive loci Ordinarius (statutis peculiaribus si quae fuerint approbatis) etiam Congregationis *erectionem* a Praeposito Generali (qui hac quoque facultate pollet) fieri maluerit, in litteris ad eundem dirigendis erectio et aggregatio simul petantur adiuncto Episcopi testimonio et commendatione.—Formula litterarum tunc erit haec:

Adm. Rev. Pater,

Quum infrascriptus orator *N. N.* Congregationem sub invocatione D. N. Iesu Christi in Cruce morientis ac beatissimae Virginis Mariae eius Genitricis perdolentis, vulgo Bonae Mortis, in ecclesia S..... loci..... dioecesis..... constituere desideret, Revmo. Dño..... Episcopo..... statuta eiusdem peculiaria iam proposuit atque ab eo consensum et approbationem pro eiusdem canonica erectione et aggregatione ad Primariam Romanam obtinuit prout documentum hic adiunctum testatur (1).

Quare idem Orator Paternitatem tuam hu-

(1) Sufficit nimirum adjungere documentum, quo Episcopus consensum pro Congregatione a Praeposito Generali erigenda et commendationem pro ejusdem aggregatione testatur.

militer rogat, ut dictam Congregationem erigere erectamque Primariae Bonae Mortis Congregationi in ecclesia sanctissimi Nominis Iesu constitutae aggregare velis cum communicatione omnium indulgentiarum et gratiarum eidem concessarum.

N. N.

Revmo. P. Generali S. I., Roma, Via di S. Nicola da Tolentino, 8.)

DE SODALIUM RECEPTIONE

1. Litteris demum (erectionis et) aggregationis a Praeposito Generali acceptis et Episcopo, ut indulgentias cognoscat, praesentatis, sodales cooptari possunt.

2. Qui quidem ut plurimum a praeside ipso per Episcopum constituto recipiantur. Attamen rec. m. Leo PP. XIII Rescripto S. Congregationis Indulg. d. d. 23 Iunii 1885, praemissa sanatione omnium adscriptionum ad singula haec Sodalitia hucusque cum quolibet defectu peractarum, benigne indulsit pro nostra Congregatione, ut id muneris a praeside ex causa rationabili alteri sacerdoti possit demandari. Inscriptio vero in catalogum sociorum semper requiritur. Quominus absentes in Congregationem cooptentur, Decretis S. Congregationis Indulgentiarum d. d. 13 Apri-

lis 1878 et 26 Novembris 1880 generatim prohibetur; conceditur tamen Congregationum moderatoribus eorumque delegatis, ut in casibus singularibus dispensare possint a statuta forma inter praesentes, ac absentes etiam per singularem seu extraordinariam exceptionem rite adscribere.

3. Ut erectio et aggregatio gratis omnino nulla mercede exacta praestantur, ita pro inscribendis quoque sodalibus per se nihil exigi potest praeter ea, quae secundum statuta illius loci approbante Episcopo in expensas pro foliis vel libellis inscriptionis, ornamentis oratorii, etc., deputantur.

4. *Praesidibus* singularum Congregationum plurimum commendatur:

a) ut testimonia receptionis typis imprimi curent, quibus in altera folii parte brevis indulgentiarum elenchus, statuta Congregationis et ordo officiorum adiungantur, ad quae sodales singulis hebdomadis vel mensibus conveniunt;

b) ut librum, qui «Congregationis liber» dicatur, provideant, in eoque describantur: 1, primo loco litterae approbationis ac commendationis Episcopi; 2, diploma erectionis et aggregationis seu eius breve compendium; 3, statuta Congregationis; 4, nomina singulorum sodalium addito die, quo quisque in Congregationem est cooptatus; 5, decisiones gra-

viores ipsius magistratus atque insigniores Sodalitatis eventus.

Hucusque *Instructiones* supra laudatae, typis Vaticanis impressae, et Superioribus missae.

Et haec sufficiant Nostris ad supplementum scientiae moralis.

A. M. D. G.

INDEX CAPITUM

APPENDIX AD VOLUMEN PRIMUM

		Pag.
Num.	1. De Appendicis materia	11
»	2. De Probabilismo	12
»	3. De Duratione praeceptorum	16
»	4. De Interpretatione legum	17
»	5. De Lege poenali	18
»	6. De Consuetudine in Societate	23
»	7. De Liberalismo	24
»	8. De Correctione fraterna	26
»	9. De Pravis libris	29
»	10. De Spectaculis	33
»	11. De Cessatione et dispensatione votorum	34
»	12. De Loco celebrandi Missam	34
»	13. De Magistris	35
»	14. De Secreto	36

APPENDIX AD VOLUMEN SECUNDUM

Núm.	15. De Natura Status religiosi	39
»	16. De Discrimine inter votum simplex et solemne	41
»	17. De Admissione novitiorum	44
»	18. De Valore professionis	44
»	19. De Obligatione tendendi ad perfectionem	46
»	20. De Regularum obligatione	48
»	21. De Vocatione religiosa	50
»	22. De Obligationibus votorum	53
»	23. De Voto paupertatis	54
»	24. De Paupertate in individuis	54
»	25. De Paupertate in communitatibus	56
»	26 De Dominio radicali	60
»	27. De Pecunia accepta in pia opera	61
»	28. De Materia gravi contra votum	62
»	29. Scholion	66
»	30. De Materia gravi ratione Sacrilegiio	67
»	31. De Quibusdam casibus	72

Pag.

Num. 32. De Voto castitatis..... 76
» 33. De Voti obedientiae materia. 76
» 34. De Virtutis obedientiae materia..... 81
» 35. De Actibus internis..... 81
» 36. De Voto solemni et simplici..... 82
» 37. De Re dubie licita..... 82
» 38. De Peccato contra votum..... 84
» 39. Quibus obediendum..... 85
» 40 De Modo obediendi..... 86
» 41. De Privilegiis Soc in genere..... 86
» 42. De Exemptione..... 92
» 43. De his quae Nostris confessariis in Compendio communicantur..... 95
» 44. Communicabilia a Superiore locali..... 99
» 45. Id. a Provinciali..... 102
» 46. Notanda de Privilegiis..... 105
» 47. De Missae applicatione..... 108
» 48. De Stipendiis ob ministeria.. 110
» 49. De Confessariis Nostris..... 112
» 50. De Confessariis externorum..... 113
» 51 De Obligationibus Confessariorum..... 117
» 52. De Facultatibus..... 123
» 53. De Confessariis Nostrorum: quinam sint.. 123
» 54. De Facultatibus eorum et obligationibus. 129
» 55. De Reservatione..... 132
» 56. Casus reservati..... 134
» 57. De Potestate absolvendi 139
» 58. De Itinerantibus Novitiis et Tertianis..... 144
» 59. Quid si casus reservatus occurrit.. 151
» 60. De Sollicitante denuntiando..... 156
» 61. De Sacra NN. Ordinatione 157
» 62. De Impedimento..... 161
» 63. De Censuris Soc..... 162
» 64. De Scriptione librorum..... 162
» 65. De Clausura..... 164
» 66. De Dimissis vel eiectis..... 166
» 67. De Indulgentiis..... 167
» 68. De Congregationibus erigendis..... 172
Instructio de Congregationibus rite instituendis..... 172
Instructio de Congregationibus B. Mariae Virginis rite instituendis..... 180
Instructio de Congregationibus Bonae Mortis rite instituendis..... 191

060.17
AR 27
6377

ARCOS, A.M.

AUTHOR

Appendix Theologiae Moralis

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	[illegible]	
	Rickford	OCT 24
	[illegible]	MAY 1

6377